MASTER NEGATIVE
NO. 93-81578-7

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

TITLE:

QUELLEN ZUR GESCHICHTE DER ...

PLACE:

LEIPZIG

DATE:

1914-1915

Master Negative #

93-81578-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

943.02
Q33 Quellen zur geschichte der mittelalterlichen geschichtsschreibung. Leipzig, Teubner, 1914-15.
2 v. 21 cm. (Quellensammlung zur deutschen geschichte)

Contents.--I. Geschichtsschreiber des frühen mittelalters (von Eusebius bis zu Regino von Prüm), von Fritz Kern. 1915.--II. Deutsche geschichtsschreiber der kaiserzeit (von Widukind von Korvey bis auf Eike von Repgow), von Fritz Vigener. 1914.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/22/93 INITIALS my
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

VOLUME 1


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUELLENSAMMLUNG ZUR DEUTSCHEN GESCHICHTE

FRITZ KERN

QUELLEN ZUR GESCHICHTE DER MITTELALTERLICHEN GESCHICHTSSCHREIBUNG

I

B. G. TEUBNER LEIPZIG · BERLIN

943.02 Q33

Columbia University
in the City of New York

LIBRARY

QUELLENSAMMLUNG ZUR DEUTSCHEN GESCHICHTE
HERAUSGEGEBEN VON E. BRANDENBURG UND G. SEELIGER

QUELLEN ZUR GESCHICHTE DER MITTELALTERLICHEN GESCHICHTSSCHREIBUNG

I.

GESCHICHTSSCHREIBER DES FRÜHEN MITTELALTERS

(VON EUSEBIUS BIS ZU REGINO VON PRÜM)

VON

FRITZ KERN

VERLAG VON B. G. TEUBNER · LEIPZIG UND BERLIN 1915

943.02
Q33
v.1
1915

ALLE RECHTE,
EINSCHLIESSLICH DES ÜBERSETZUNGSRECHTS, VORBEHALTEN

mean. 10-12-15

VORWORT

In Übereinstimmung mit den Grundsätzen, die Fritz Vigener im Vorwort zum zweiten Bändchen dargelegt hat, suchte ich in dem vorliegenden Bändchen die Gattungen der frühmittelalterlichen Geschichtsschreibung zu charakterisieren. Vielleicht noch mehr als beim zweiten Band macht sich in diesem ersten die Raumbeschränkung störend bemerkbar. Umfaßt doch das Zeitalter, dessen mannigfaltige Kulturzustände und Nationen hier zum Worte kommen, mehr als ein halbes Jahrtausend. Wollte ich also die Gefahr vermeiden, allzu kurze und abgerissene Stückchen zu bieten, so mußte ich andererseits die Auswahl auf wenige hervorragende Typen beschränken.

Gut die Hälfte der hier aufgeführten Historiker gehört zu den Klassikern, deren nähere Kenntnis von jedem Geschichtsbeflissenen verlangt werden muß. Nur zu seminaristischen Zwecken scheint mir da der Abdruck von Proben statthaft, hierfür freilich auch gefordert: denn nur auf diese Weise läßt sich die frühmittelalterliche Historiographie in größerem Kreis kursorisch durchnehmen. Viel zu wenig aber wird im allgemeinen darauf gehalten, daß sich der Studierende auch mit den großen spätantiken Mustern der mittelalterlichen Geschichtsschreibung vertraut mache. Der angehende Historiker orientiert sich meist zu ausschließlich an Wattenbachs Deutschen Geschichtsquellen; selten, fast nie wird Eberts geistvolle und umfassende Literaturgeschichte gelesen. Hier möchte das vorliegende Bändchen Anregungen vermitteln: es will darauf hinweisen, daß das Mittelalter nicht zu verstehen ist ohne seine Lehrmeisterin, die Patristik. Nur wenige der für das Mittelalter vorbildlichen Werke freilich konnten aufgeführt werden. Unter ihnen herrscht dem Umfang nach das Grundwerk der lateinischen Patristik, das Buch De civitate Dei.

In der vorliegenden Sammlung sollte zum Ausdruck kommen, daß, weil der Geist Augustins, seine Werturteile und seine Geschichtspragmatik das Mittelalter beherrschen, die Kenntnis seines Buches unerläßlich ist für jeden, der die mittelalterliche Historie würdigen will.

Mit Hilfe der unten S. V angeführten literarischen Wegweiser kann sich auch der Anfänger leicht die vollständigen Texte beschaffen, und es wäre das erwünschte Ziel dieser Chrestomathie, daß sie jeden Leser dazu anreizte und es ihm zur Pflicht machte, die Originale aufzusuchen.

Herrn stud. phil. Hans Heinrich Schäder aus Kiel spreche ich für seine freundliche Hilfeleistung bei der Korrektur meinen herzlichen Dank aus. Zuletzt hat der Krieg den Abschluß verzögert und erschwert.

FRITZ KERN.

DIE WICHTIGSTEN HILFSMITTEL

O. Bardenhewer, Patrologie. 3. Aufl. Freiburg i. Br. 1910.

A. Ebert, Allgemeine Geschichte der Literatur im Mittelalter. 3 Bde. Leipzig 1874–87. Bd. 1 in 2. Aufl. 1889.

M. Manitius, Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters. 1. Teil: Von Justinian bis zur Mitte des 10. Jahrhunderts. München 1911. (Bd. 9, 2 von J. v. Müllers Handbuch der klass. Altertumswissenschaft.)

A. Potthast, Bibliotheca Historica medii aevi. Wegweiser durch die Geschichtswerke des europäischen Mittelalters. 2 Bde. 2. Aufl. Berlin 1896.

W. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter bis zur Mitte des 13. Jahrhunderts. 1. Bd. 7. Aufl. Stuttgart u. Berlin 1904.

A. Molinier, Les sources de l'histoire de France des origines aux guerres d'Italie. 1. Bd. Paris 1901.

INHALT

		Seite
1.	Eusebius von Caesarea, Historia ecclesiastica	1
2.	Hieronymus, De viris inlustribus	2
3.	Sulpicius Severus, Vita S. Martini	4
4.	Augustinus, De civitate Dei	6
5.	Orosius, Historiae	21
6.	Salvianus, De gubernatione Dei	23
7.	Eugippius, Vita S. Severini	24
8.	Jordanis, Getica	26
9.	Gildas, De excidio et conquestu Britanniae	29
10.	Gregor von Tours, Historia Francorum	29
11.	Papst Gregor I. der Große, Dialogi	34
12.	Isidor von Sevilla, Historia Gothorum. Chronica	35
13.	Jonas von Susa, Vita S. Columbani	37
14.	Fredegar, Chronik	38
15.	Origo gentis Langobardorum	39
16.	Liber Pontificalis	40
17.	Beda Venerabilis, Historia ecclesiastica gentis Anglorum	42
18.	Liber Historiae Francorum	45
19.	Frühkarlingische Annalistik	46
20.	Fortsetzer des Fredegar	50
21.	Annales Mettenses Priores	50
22.	Willibald, Vita S. Bonifatii	51
23.	Paulus Diaconus, Historia Langobardorum	52
24.	Annales Regni Francorum	55
25.	Einhard, Vita Karoli Magni	60
26.	Frechulf von Lisieux, Historia Mundi	63
27.	Ermoldus Nigellus, In Honorem Hludowici Caesaris	64
28.	Thegan, Vita Hludowici imperatoris	66
29.	Translatio S. Viti	67
30.	Gesta abbatum Fontanellensium	69
31.	Nithard, Historiae	70
32.	Annales Fuldenses	72
33.	Annales Bertiniani	77
34.	Rimbert, Vita Anskarii	78
35.	Annales Xantenses	79
36.	Annales Vedastini	81
37.	Das Ludwigslied	82
38.	Der Mönch von Sankt Gallen	83
39.	Abbo, De Bellis Parisiacae Urbis	85
40.	Regino von Prüm, Chronicon	86

1. Eusebius von Cäsarea, Historia ecclesiastica.

Übersetzt von Rufinus.

Herausg. Th. Mommsen, Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte hrsg. v. d. Kirchenväter-Kommission der Kgl. Preuß. Ak. d. Wiss., Eusebius Bd. 2, 1.

Successiones sanctorum apostolorum et tempora quae a salvatore nostro ad nos usque decursa sunt, quaeque et qualia in his erga ecclesiae statum gesta sint, qui etiam insignes viri in locis maxime celeberrimis ecclesiis praefuerunt vel qui singulis quibusque temporibus seu scribendo seu docendo verbum dei nobiliter adstruxere, quique etiam vel quanti vel quando nova contra religionem dogmata proferentes ad profundum erroris studio contentionis elapsi falsae scientiae auctores se praeceptoresque professi sunt, passim velut lupi graves gregem Christi lacerantes, nec non et ea mala quae Iudaeorum gentem pro insidiis quas adversum salvatorem moliti sunt, vastaverunt, quibus etiam modis et quotiens quibusve temporibus doctrina Christi et sermo divinus a gentilibus impugnatus est, quantique his tempestatibus usque ad suppliciorum patientiam et profusionem sanguinis pro verbi dei veritate certarunt, sed et martyria nostris suscepta temporibus atque in his domini et salvatoris nostri erga singulos quosque unicum clementissimumque subsidium scribere mihi volenti non aliunde sumendum videtur exordium quam ab ipsa domini et salvatoris nostri Iesu Christi praesentia corporali. Sed mihi quaeso veniam dari: confiteor namque, quod in hoc opere viribus nostris maiora temptamus, ut et fideliter et integre quae sunt gesta narremus et rudem ac nulli fere nostrorum digressam viam huiuscemodi itineris primi audeamus incedere. Et licet deum ducem futurum dominique salvatoris nostri certus sim nobis adfutura suffragia, hominum tamen nulla, quibus possimus inniti, conspicimus praecessisse vestigia, nisi quod sparsim singulorum quorumque temporis sui rerum gestarum ad nos usque indicia ac monumenta transmissa sunt, e quibus quaedam nobis luminum faces velut in obscuro positis eminus accenduntur et tamquam e sublimi specula, qua nos gressum tendere

oporteat ac viam verbi absque errore dirigere, eorum vocibus admonemur. Quaecumque igitur proposito operi convenire credidimus, ex his, quae illi sparsim memoraverant, eligentes ac velut e rationabilibus campis doctorum flosculos decerpentes historica narratione in unum corpus redigere et coagmentare temptavimus, satis abundeque gratum putantes, etsi non omnium, nobilissimorum certe salvatoris nostri apostolorum successiones celebrioribus quibusque ecclesiis traditas in unum colligere atque in ordinem modumque digerere. Opus autem mihi pernecessarium videor adsumpsisse eo magis, quo, ut superius dixi, neminem ecclesiasticum dumtaxat scriptorem ad hanc partem narrationis animum adiecisse comperior. In quo illud etiam spero, quod et utilitatis plurimum ex rerum gestarum cognitione studiosis quibusque noster hic conferat labor. Quamvis iam de his ipsis nonnulla etiam in chronicis, id est in eo opere, quod de temporum ratione conscripsimus, breviter succincteque perstrinxerim, plenius tamen in praesenti opere singulorum narrationem aperire temptavimus.

Incipiet igitur mihi sermo ab ipso domino, sicut promisimus, Christo. Verum quia Christianorum res gestas scribere proponimus, consequens videtur, uti prius vel genus hoc hominum unde ducat exordium vel quid nominis ipsius contineat ratio, excuius gens ista vel populus appellatione censetur, repetentes paulo altius exponamus. Igitur quoniam Christus duplici ex modo constat et divina in eo pariter atque humana natura plenitudinem tenet, caput in eo divina substantia, pedes humana, quam pro nostra salute suscepit, habeantur, et ita demum perfectius nobis narratio dirigitur, si a capite, id est a divinitatis eius verbo sumamus exordium, per quod Christianorum, quae gens novellae appellationis creditur, antiquitas et nobilitas pariter ostenditur. ...

2. Hieronymus, de viris inlustribus.

Herausg. E. C. Richardson, Texte u. Untersuchungen zur Gesch. der altchristl. Literatur 14, 1, 1896.

Prologus. Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram et, quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit inlustribus, ego in nostris faciam, id est, ut a passione Christi usque ad quartum decimum Theodosii imperatoris annum omnes qui de Scripturis Sanctis memoriae aliquid prodiderunt tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc idem apud Graecos, Hermippus peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe omnium doctissimus, Aristoxenus musicus; apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, et, ad cuius nos exemplum vis provocare, Tranquillus.

Sed non est mea et illorum similis condicio. Illi enim historias veteres annalesque replicantes, potuerunt quasi de ingenti prato parvam opusculi sui coronam texere. Ego quid acturus, qui nullum praevium sequens, pessimum, ut dicitur, magistrum memet ipsum habeo? Quamquam et Eusebius Pamphili in decem Ecclesiasticae Historiae libris maximo nobis adiumento fuerit et singulorum de quibus scripturi sumus volumina aetates auctorum suorum saepe testentur.

Itaque Dominum Iesum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanae eloquentiae stetit, non est facere dedignatus in Bruto oratorum Latinae linguae texens catalogum, id ego, in ecclesiae eius scriptoribus enumerandis, digne cohortatione tua inpleam. Si qui autem de his qui usque hodie scriptitant a me in hoc volumine praetermissi sunt, sibi magis quam mihi inputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua de his quae non legi, nosse potui, et quod aliis forsitan notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt.

Discant igitur Celsus, Porphyrius, Iulianus, rabidi adversum Christum canes, discant sectatores eorum qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, struxerint, adornaverint, et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam recognoscant.

Vale in Domino Iesu Christo.

c. 1. Simon Petrus, filius Iohannis, provinciae Galileae vico Bethsaida, frater Andreae apostoli et princeps apostolorum, post episcopatum Antiochensis ecclesiae et praedicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem magum, Romam pergit ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum annum Neronis, id est, quartum decimum. A quo et adfixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis, adserens se indignum qui sic crucifigeretur ut Dominus suus.

Scripsit duas *Epistulas*, quae catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque eius negatur, propter stili cum priore

dissonantiam. Sed et evangelium iuxta Marcum, qui auditor eius et interpres fuit, huius dicitur. Libri autem, e quibus unus *Actorum* eius inscribitur, alius *Evangelii*, tertius *Praedicationis*, quartus Ἀποκαλύψεως, quintus *Iudicii*, inter apocryphas scripturas repudiantur. Sepultus Romae in Vaticano, iuxta viam triumphalem, totius orbis veneratione celebratur.

c. 92. Triphylius, Cypri Ledrensis sive Leucontheon episcopus, eloquentissimus suae aetatis et sub rege Constantio celeberrimus fuit. Legi eius *In Canticum Canticorum* commentarios. Et multa alia conposuisse fertur, quae in nostras manus minime pervenerunt.

c. 93. Donatus, a quo Donatiani per Africam sub Constantino Constantioque principibus, adserens a nostris Scripturas in persecutione ethnicis traditas totam paene Africam et maxime Numidiam sua persuasione decepit. Extant eius multa ad suam haeresim pertinentia et *De Spiritu Sancto* liber Ariano dogmati congruens.

c. 94. Asterius, Arianae philosophus factionis, scripsit, regnante Constantio, *In epistulam ad Romanos* et *In Evangelia* et *In Psalmos* commentarios et multa alia, quae a suae partis hominibus studiosissime leguntur.

c. 95. Lucifer, Caralitanus episcopus cum Pancratio et Hilario Romanae ecclesiae clericis ad Constantium imperatorem a Liberio episcopo pro fide legatus missus, cum nollet sub nomine Athanasii Nicaenam damnare fidem, in Palaestinam relegatus, mirae constantiae et praeparati animi ad martyrium, contra Constantium imperatorem scripsit librum, eique legendum misit ac non multo post sub Iuliano principe reversus Caralis, Valentiniano regnante, obiit.

3. Sulpicius Severus, Vita S. Martini.

Herausg. C. Halm, Corpus Scriptorum eccl. lat. Vindob. Bd. 1.

Prologus. Severus Desiderio fratri carissimo. Ego quidem, frater unanimis, libellum quem de vita sancti Martini scripseram, scheda sua premere et intra domesticos parietes cohibere decreveram, quia, ut sum natura infirmissimus, iudicia humana vitabam, ne, quod fore arbitror, sermo incultior legentibus displiceret omniumque reprehensionis dignissimus iudicarer, qui materiem disertis merito scriptoribus reservandam inpudens occupassem: sed petenti tibi saepius negare non potui. Quid enim esset, quod non amori tuo vel cum detrimento mei pudoris inpenderem? Verumtamen ea tibi fiducia

libellum edidi, qua nulli a te prodendum reor, quia id spopondisti. Sed vereor, ne tu ei ianua sis futurus, et emissus semel revocari non queat. Quod si acciderit et ab aliquibus eum legi videris, bona venia id a lectoribus postulabis, ut res potius quam verba perpendant et aequo animo ferant, si aures eorum vitiosus forsitan sermo perculerit, quia regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. Meminerint etiam, salutem saeculo non ab oratoribus, cum utique, si utile fuisset, id quoque Dominus praestare potuisset, sed a piscatoribus praedicatam esse. Ego enim, cum primum animum ad scribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latere virtutes, apud me ipse decidi, ut soloecismis non erubescerem: quia nec magnam istarum umquam rerum scientiam contigissem, et si quid ex his studiis olim fortasse libassem, totum id desuetudine tanti temporis perdidissem. Sed tamen ne nos maneat tam molesta defensio, suppresso, si tibi videtur, nomine libellus edatur. Quod ut fieri valeat, titulum frontis erade, ut muta sit pagina et, quod sufficit, loquatur materiam, non loquatur auctorem. ...

c. 3. Quodam itaque tempore, cum iam nihil praeter arma et simplicem militiae vestem haberet[1]), media hieme, quae solito asperior inhorruerat, adeo ut plerosque vis algoris extingueret, obvium habet in porta Ambianensium civitatis pauperem nudum: qui cum praetereuntes ut sui misererentur oraret omnesque miserum praeterirent, intellexit vir Deo plenus sibi illum, aliis misericordiam non praestantibus, reservari. Quid tamen ageret? Nihil praeter chlamydem, qua indutus erat, habebat: iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro, quo accinctus erat, mediam dividit partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circumstantibus ridere nonnulli, quia deformis esse truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens sanior, altius gemere, quod nihil simile fecissent, cum utique plus habentes vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cum se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suae, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum vestemque, quam dederat, iubetur agnoscere. Mox ad angelorum circumstantium multitudinem audit Iesum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. ...

c. 8. Nec multo post, dum agrum Lupicini cuiusdam honorati

1) *Martin.*

secundum saeculum viri praeteriret, clamore et luctu turbae plangentis excipitur, ad quam cum sollicitus adstitisset et quis esset hic fletus inquireret, indicatur unum ex familia servulum laqueo sibi vitam extorsisse. Quo cognito cellulam, in qua corpus iacebat, ingreditur, exclusisque omnibus turbis superstratus corpori aliquantisper oravit. Mox vivescente vultu, marcescentibus oculis in ora illius defunctus erigitur: lentoque conamine enisus adsurgere, adprehensa beati viri dextera in pedes constitit: adque ita cum eo usque ad vestibulum domus, turba omni inspectante, processit. ...

c. 22. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur inludere, visibilem se ei formis diversissimis ingerebat. Nam interdum in Iovis personam, plerumque Mercuri, saepe etiam se Veneris ac Minervae transfiguratum vultibus offerebat: adversus quem semper interritus signo se crucis et orationis auxilio protegebat.[1])

4. Augustinus, De civitate Dei.[2])

Herausg. Em. Hoffmann, Corpus Scriptorum eccl. lat. Vindob. Bd. 40, 1. 2.

Lib. I. Praefatio. De suscepti operis consilio et argumento.

Gloriosissimam civitatem Dei sive in hoc temporum cursu, cum inter inpios peregrinatur ex fide vivens, sive in illa sta-

1) *Über den buchhändlerischen Erfolg seines Martinslebens schreibt Severus Dial. 1, 23, 3—7*: Sed referam tibi sane, quo liber iste penetrarit, et quam nullus fere in orbe terrarum locus sit, ubi non materia tam felicis historiae pervulgata teneatur. Primus eum Romanae urbi vir studiosissimus tui Paulinus invexit: deinde cum tota certatim urbe raperetur, exultantes librarios vidi, quod nihil ab his quaestuosius haberetur, siquidem nihil illo promptius, nihil carius venderetur. Hic navigationis meae cursum longe ante praegressus cum ad Africam veni, iam per totam Carthaginem legebatur. Solus eum Cyrenensis ille presbyter non habebat, sed me largiente descripsit. Nam quid ego de Alexandria loquar? Ubi paene omnibus magis quam tibi notus est. Hic Aegyptum, Nitriam, Thebaidam ac tota Memphitica regna transivit. Hunc ego in eremo a quodam sene legi vidi: cui cum me familiarem tuum esse dixissem, et ab illo et a multis fratribus haec mihi iniuncta legatio est, ut, si umquam terras istas te incolumi contigissem, ea te supplere conpellerem, quae in illo tuo libro de virtutibus beati viri professus es praeterisse. ...

2) *In den Libri II Retractationum cap. XLIII spricht sich Augustin folgendermaßen über sein Werk aus:* Interea Roma Gothorum inruptione agentium sub rege Alarico adque impetu magnae cladis eversa est, cuius eversionem deorum falsorum multorum-

bilitate sedis aeternae, quam nunc expectat per patientiam, quoadusque iustitia convertatur in iudicium, deinceps adeptura per excellentiam victoria ultima et pace perfecta, hoc opere ad te instituto et mea [ad te] promissione debito defendere adversus eos, qui conditori eius deos suos praeferunt, fili carissime Marcelline, suscepi, magnum opus et arduum, sed Deus adiutor noster est. Nam scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis quanta sit virtus humilitatis, qua fit ut omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcendat. Rex enim et conditor civitatis huius, de qua loqui instituimus, in scriptura populi sui sententiam divinae legis aperuit, qua dictum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hoc vero, quod Dei est, superbae quoque animae spiritus inflatus adfectat amatque sibi in laudibus dici:

Parcere subiectis et debellare superbos.

Unde etiam de terrena civitate, quae cum dominari adpetit, etsi populi serviant, ipsa ei dominandi libido dominatur, non

que cultores, quos usitato nomine paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes solito acerbius et amarius Deum verum blasphemare coeperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei adversus eorum blasphemias vel errores libros de civitate Dei scribere institui. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quae differre non oporteret et me prius ad solvendum occupabant. Hoc autem de civitate Dei grande opus tandem viginti duobus libris est terminatum. Quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, ut ad hoc multorum deorum cultum, quos pagani colere consueverunt, necessarium esse arbitrentur, et quia prohibetur, mala ista exoriri adque abundare contendunt. Sequentes autem quinque adversus eos loquuntur, qui fatentur haec mala nec defuisse umquam nec defutura mortalibus, et ea nunc magna, nunc parva locis temporibus personisque variari, sed deorum multorum cultum, quo eis sacrificatur, propter vitam post mortem futuram esse utilem disputant. His ergo decem libris duae istae vanae opiniones Christianae religioni adversariae refelluntur.

Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra adseruisse reprehenderet, id agit pars altera operis huius, quae libris duodecim continetur, quamquam, ubi opus est, et in prioribus decem quae nostra sunt adseramus, et in duodecim posterioribus redarguamus adversa. Duodecim ergo librorum sequentium primi quattuor continent exortum duarum civitatum, quarum est una Dei, altera huius mundi; secundi quattuor excursum earum sive procursum; tertii vero, qui et postremi, debitos fines. Ita omnes viginti et duo libri, cum sint de utraque civitate conscripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de civitate Dei potius vocarentur.

est praetereundum silentio quidquid dicere suscepti huius operis ratio postulat et facultas datur.

Cap. I. De adversariis nominis Christi, quibus in vastatione Urbis propter Christum barbari pepercerunt.

Ex hac namque existunt inimici, adversus quos defendenda est Dei civitas, quorum tamen multi correcto inpietatis errore cives in ea fiunt satis idonei; multi vero in eam tantis exardescunt ignibus odiorum tamque manifestis beneficiis redemtoris eius ingrati sunt, ut hodie contra eam linguas non moverent, nisi ferrum hostile fugientes in sacratis eius locis vitam, de qua superbiunt, invenirent. An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca et basilicae apostolorum, quae in illa vastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt. Huc usque cruentus saeviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illo ducebantur a miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipsi alibi truces adque hostili more saevientes posteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum quod alibi belli iure licuisset, tota feriendi refrenabatur inmanitas et captivandi cupiditas frangebatur. Sic evaserunt multi, qui nunc Christianis temporibus detrahunt et mala, quae illa civitas pertulit, Christo inputant; bona vero, quae in eos ut viverent propter Christi honorem facta sunt, non inputant Christo nostro sed fato suo, cum potius deberent, si quid recti saperent, illa, quae ab hostibus aspera et dura perpessi sunt, illi providentiae divinae tribuere, quae solet corruptos hominum mores bellis emendare adque conterere itemque vitam mortalium iustam adque laudabilem talibus adflictionibus exercere probatamque vel in meliora transferre vel in his adhuc terris propter usus alios detinere; illud vero, quod eis vel ubicumque propter Christi nomen vel in locis Christi nomini dicatissimis et amplissimis ac pro largiore misericordia ad capacitatem multitudinis electis praeter bellorum morem truculenti barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus Christianis, hinc Deo agere gratias, hinc ad eius nomen veraciter currere, ut effugiant poenas ignis aeterni, quod nomen multi eorum mendaciter usurparunt, ut effugerent poenas praesentis exitii. Nam quos vides petulanter et procaciter insultare servis

Christi, sunt in eis plurimi, qui illum interitum clademque non evasissent, nisi servos Christi se esse finxissent. Et nunc ingrata superbia adque inpiissima insania eius nomini resistunt corde perverso, ut sempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore vel subdolo confugerunt, ut temporali luce fruerentur.

Cap. II. Quod nulla umquam bella ita gesta sint, ut victores propter deos eorum, quos vicerunt, parcerent victis.

Tot bella gesta conscripta sunt vel ante conditam Romam vel ab eius exortu et imperio: legant et proferant sic ab alienigenis aliquam captam esse civitatem, ut hostes, qui ceperant, parcerent eis, quos ad deorum suorum templa confugisse compererant, aut aliquem ducem barbarorum praecepisse, ut inrupto oppido nullus feriretur, qui in illo vel illo templo fuisset inventus. Nonne vidit Aeneas Priamum per aras

> Sanguine foedantem quos ipse sacraverat ignes?

Nonne Diomedes et Ulixes

> caesis summae custodibus arcis
> Corripuere sacram effigiem manibusque cruentis
> Virgineas ausi divae contingere vittas?

Nec tamen quod sequitur verum est:

> Ex illo fluere ac retro sublabsa referri
> Spes Danaum.

Postea quippe vicerunt, postea Troiam ferro ignibusque deleverunt, postea confugientem ad aram Priamum obtruncaverunt. Nec ideo Troia periit, quia Minervam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerva perdiderat, ut periret? an forte custodes suos? Hoc sane verum est; illis quippe interemtis potuit auferri. Neque enim homines a simulacro, sed simulacrum ab hominibus servabatur. Quo modo ergo colebatur, ut patriam custodiret et cives, quae suos non valuit custodire custodes?

Lib. II. Cap. XIX. De corruptione Romanae rei publicae, priusquam cultum deorum Christus auferret.

Ecce Romana res publica (quod non ego primus dico, sed auctores eorum, unde haec mercede didicimus, tanto ante dixerunt ante Christi adventum) ‘paulatim mutata ex pulcher-

rima adque optima pessima ac flagitiosissima facta est'. Ecce ante Christi adventum, post deletam Carthaginem 'maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati, adeo iuventus luxu adque avaritia corrupta est'. Legant nobis contra luxum et avaritiam praecepta deorum suorum populo Romano data; cui utinam tantum casta et modesta reticerent, ac non etiam ab illo probrosa et ignominiosa deposcerent, quibus per falsam divinitatem perniciosam conciliarent auctoritatem. Legant nostra et per prophetas et per sanctum evangelium, et per apostolicos actus et per epistulas tam multa contra avaritiam adque luxuriam ubique populis ad hoc congregatis quam excellenter, quam divine non tamquam ex philosophorum concertationibus strepere, sed tamquam ex oraculis et Dei nubibus intonare. Et tamen luxu adque avaritia saevisque ac turpibus moribus ante adventum Christi rem publicam pessimam ac flagitiosissimam factam non inputant dis suis; adflictionem vero eius, quamcumque isto tempore superbia deliciaeque eorum perpessae fuerint, religioni increpitant Christianae. Cuius praecepta de iustis probisque moribus si simul audirent adque curarent reges terrae et omnes populi, principes et omnes iudices terrae, iuvenes et virgines, seniores cum iunioribus, aetas omnis capax et uterque sexus, et quos baptista Iohannes adloquitur, exactores ipsi adque milites: et terras vitae praesentis ornaret sua felicitate res publica, et vitae aeternae culmen beatissime regnatura conscenderet. Sed quia iste audit, ille contemnit, pluresque vitiis male blandientibus quam utili virtutum asperitati sunt amiciores: tolerare Christi famuli iubentur, sive sint reges sive principes sive iudices, sive milites sive provinciales, sive divites sive pauperes, sive liberi sive servi, utriuslibet sexus, etiam pessimam, si ita necesse est, flagitiosissimamque rem publicam et in illa angelorum quadam sanctissima adque augustissima curia caelestique re publica, ubi Dei voluntas lex est, clarissimum sibi locum etiam ista conparare tolerantia.

Cap. XX. Quali velint felicitate gaudere et quibus moribus vivere, qui tempora Christianae religionis incusant.

Verum tales cultores et dilectores deorum istorum, quorum etiam imitatores in sceleribus et flagitiis se esse laetantur, nullo modo curant pessimam ac flagitiosissimam non esse rem publicam. Tantum stet, inquiunt, tantum floreat copiis referta, victoriis gloriosa, vel, quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? Immo id ad nos magis pertinet, si divitias quisque augeat semper, quae cottidianis effusionibus subpetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior. Obsequantur divitibus pauperes causa saturitatis adque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur, divites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non dura iubeantur, non prohibeantur inpura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis regnent. Provinciae regibus non tamquam rectoribus morum, sed tamquam rerum dominatoribus et deliciarum suarum provisoribus serviant, eosque non sinceriter honorent, sed [nequiter ac] serviliter timeant. Quid alienae vineae potius quam quid suae vitae quisque noceat, legibus advertatur. Nullus ducatur ad iudicem, nisi qui alienae rei domui saluti vel cuiquam invito fuerit inportunus aut noxius; ceterum de suis vel cum suis vel cum quibusque volentibus faciat quisque quod libet. Abundent publica scorta vel propter omnes, quibus frui placuerit, vel propter eos maxime, qui habere privata non possunt. Exstruantur amplissimae adque ornatissimae domus, opipara convivia frequententur, ubi cuique libuerit et potuerit, diu noctuque ludatur bibatur, vomatur diffluatur. Saltationes undique concrepent, theatra inhonestae laetitiae vocibus adque omni genere sive crudelissimae sive turpissimae voluptatis exaestuent. Ille sit publicus inimicus, cui haec felicitas displicet; quisquis eam mutare vel auferre tentaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat a sedibus, auferat a viventibus. Illi habeantur di veri, qui hanc adipiscendam populis procuraverint adeptamque servaverint. Colantur ut voluerint, ludos exposcant quales voluerint, quos cum suis vel de suis possint habere cultoribus: tantum efficiant, ut tali felicitati nihil ab hoste, nihil a peste, nihil ab ulla clade timeatur. — Quis hanc rem publicam sanus, non dicam Romano imperio, sed domui Sardanapali conparaverit? qui quondam rex ita fuit voluptatibus deditus, ut in sepulcro suo scribi fecerit ea sola se habere mortuum, quae libido eius, etiam cum viveret, hauriendo consumserat. Quem regem si isti haberent sibi in talibus indulgentem nec in eis cuiquam ulla severitate adversantem, huic libentius quam Romani veteres Romulo templum et flaminem consecrarent.

Cap. XXVIII. De Christianae religionis salubritate.

Ab istarum inmundissimarum potestatum tartareo iugo et societate poenali erui per Christi nomen homines et in lucem saluberrimae pietatis ab illa perniciosissimae inpietatis nocte transferri queruntur et murmurant iniqui et ingrati et illo nefario spiritu altius obstrictiusque possessi, quia populi confluunt ad ecclesiam casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semperque vivere mereantur, ubi sancta scriptura iustitiaeque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante et qui faciunt audiant ad praemium, et qui non faciunt audiant ad iudicium. Quo etsi veniunt quidam talium praeceptorum inrisores, omnis eorum petulantia aut repentina mutatione deponitur, aut timore vel pudore conprimitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut praecepta insinuantur aut miracula narrantur, aut dona laudantur aut beneficia postulantur.

Cap. XXIX. De abiciendo cultu deorum cohortatio ad Romanos.

Haec potius concupisce, o indoles Romana laudabilis, o progenies Regulorum Scaevolarum Scipionum Fabriciorum; haec potius concupisce, haec ab illa turpissima vanitate et fallacissima daemonum malignitate discerne. Si quid in te laudabile naturaliter eminet, non nisi vera pietate purgatur adque perficitur, inpietate autem disperditur et punitur. Nunc iam elige quid sequaris, ut non in te, sed in Deo vero sine ullo errore lauderis. Tunc enim tibi gloria popularis adfuit, sed occulto divinae providentiae iudicio vera religio quam eligeres defuit. ...

Lib. IV. Cap. IV. Quam similia sint latrociniis regna absque iustitia.

Remota itaque iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi parva regna? Manus et ipsa hominum est, imperio principis regitur, pacto societatis adstringitur, placiti lege praeda dividitur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat sedes constituat, civitates occupet populos subiuget, evidentius regni nomen adsumit, quod ei iam in manifesto confert non demta cupiditas, sed addita inpunitas. Eleganter enim et veraciter Alexandro illi Magno quidam conprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogaret, quid ei videretur, ut mare haberet infestum, ille libera contumacia: Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum; sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, imperator.

Cap. XXXIII. Quod iudicio et potestate Dei veri omnium regum adque regnorum ordinata sint tempora.

Deus igitur ille felicitatis auctor et dator, quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena et bonis et malis, neque hoc temere et quasi fortuito, quia Deus est, non fortuna, sed pro rerum ordine ac temporum occulto nobis, notissimo sibi; cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tamquam dominus regit moderatorque disponit; felicitatem vero non dat nisi bonis. Hanc enim possunt et non habere et habere servientes, possunt et non habere et habere regnantes; quae tamen plena in ea vita erit, ubi nemo iam seruiet. Et ideo regna terrena et bonis ab illo dantur et malis, ne eius cultores adhuc in provectu animi parvuli haec ab eo munera quasi magnum aliquid concupiscant. Et hoc est sacramentum veteris testamenti, ubi occultum erat novum, quod illic promissa et dona terrena sunt, intellegentibus et tunc spiritalibus, quamvis nondum in manifestatione praedicantibus, et quae illis temporalibus rebus significaretur aeternitas, et in quibus Dei donis esset vera felicitas.

Lib. V. Cap. XII. Quibus moribus antiqui Romani meruerint, ut Deus verus, quamvis non eum colerent, eorum augeret imperium.

Proinde videamus, quos Romanorum mores et quam ob causam Deus verus ad augendum imperium adiuvare dignatus est, in cuius potestate sunt etiam regna terrena. Quod autem ut absolutius disserere possemus, ad hoc pertinentem etiam superiorem librum conscripsimus, quod in hac re potestas nulla sit eorum deorum, quos etiam rebus nugatoriis colendos putarunt, et praesentis voluminis partes superiores, quas huc usque perduximus, de fati quaestione tollenda, ne quisquam, cui iam persuasam esset non illorum deorum cultu Romanum imperium propagatum adque servatum, nescio cui fato potius id tribueret quam Dei summi potentissimae vo-

luntati. Veteres igitur primique Romani, quantum eorum docet et commendat historia, quamvis ut aliae gentes excepta una populi Hebraeorum deos falsos colerent et non Deo victimas, sed daemoniis immolarent, tamen 'laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant'; hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac emori non dubitaverunt; ceteras cupiditates huius unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari vero adque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt. Hinc est quod regalem dominationem non ferentes 'annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt a consulendo, non reges aut domini a regnando adque dominando'; cum et reges utique a regendo dicti melius videantur, ut regnum a regibus, reges autem, ut dictum est, a regendo; sed fastus regius non disciplina putata est regentis vel benevolentia consulentis, sed superbia dominantis. Expulso itaque rege Tarquinio et consulibus institutis secutum est, quod idem auctor in Romanorum laudibus posuit, quod 'civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae incesserat'. Ista ergo laudis aviditas et cupido gloriae multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet adque gloriosa secundum hominum existimationem. ...

Cap. XIII. De amore laudis, qui, cum sit vitium, ob hoc virtus putatur, quia per ipsam vitia maiora cohibentur.

Quam ob rem quam diu fuissent regna Orientis inlustria, voluit Deus et Occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine et magnitudine inlustrius, idque talibus potissimum concessit hominibus ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causa honoris laudis et gloriae consuluerunt patriae, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque eius saluti suae praeponere non dubitaverunt, pro isto uno vitio, id est amore laudis, pecuniae cupiditatem et multa alia vitia conprimentes. ...

Cap. XV. De mercede temporali, quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum.

Quibus ergo non erat daturus Deus vitam aeternam cum sanctis angelis suis in sua civitate caelesti, ad cuius societatem pietas vera perducit, quae non exhibet servitutem religionis, quam λατρείαν Graeci vocant, nisi uni vero Deo, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet: non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Sic et isti privatas res suas pro re communi, hoc est re publica, et pro eius aerario contemserunt, avaritiae restiterunt, consuluerunt patriae consilio libero, neque delicto secundum suas leges neque libidini obnoxii; his omnibus artibus tamquam vera via nisi sunt ad honores imperium gloriam; honorati sunt in omnibus fere gentibus, imperii sui leges inposuerunt multis gentibus, hodieque litteris et historia gloriosi sunt paene in omnibus gentibus: non est quod de summi et veri Dei iustitia conquerantur; perceperunt mercedem suam.

Cap. XVI. De mercede sanctorum civium civitatis aeternae, quibus utilia sunt Romanorum exempla virtutum.

Merces autem sanctorum longe alia est etiam hic obprobria sustinentium pro veritate Dei, quae mundi huius dilectoribus odiosa est. Illa civitas sempiterna est; ibi nullus oritur, quia nullus moritur; ibi est vera et plena felicitas, non dea, sed donum Dei; inde fidei pignus accepimus, quamdiu peregrinantes eius pulchritudini suspiramus; ibi non oritur sol super bonos et malos, sed sol iustitiae solos protegit bonos; ibi non erit magna industria ditare publicum aerarium privatis rebus angustis, ubi thensaurus communis est veritatis. Proinde non solum ut talis merces talibus hominibus redderetur Romanum imperium ad humanam gloriam dilatatum est; verum etiam ut cives aeternae illius civitatis, quamdiu hic peregrinantur, diligenter et sobrie illa intueantur exempla et videant quanta dilectio debeatur supernae patriae propter vitam aeternam, si tantum a suis civibus terrena dilecta est propter hominum gloriam.

Lib. X. Cap. XXXII. ... Quapropter in decem istis libris, etsi minus quam nonnullorum de nobis expectabat intentio, tamen quorundam studio, quantum verus Deus et Dominus adiuvare dignatus est, satisfecimus refutando contradictiones inpiorum, qui conditori sanctae civitatis, de qua disputare in-

stituimus, deos suos praeferunt. Quorum decem librorum quinque superiores adversus eos conscripti sunt, qui propter bona vitae huius deos colendos putant; quinque autem posteriores adversus eos, qui cultum deorum propter vitam, quae post mortem futura est, servandum existimant. Deinceps itaque, ut in primo libro polliciti sumus, de duarum civitatum, quas in hoc saeculo perplexas diximus invicemque permixtas, exortu et procursu et debitis finibus quod dicendum arbitror, quantum divinitus adiuvabor, expediam.

Lib. XI. Cap. I. De ea parte operis, qua duarum civitatum, id est caelestis adque terrenae, initia et fines incipient demonstrari.

Civitatem Dei dicimus, cuius ea scriptura testis est, quae non fortuitis motibus animorum, sed plane summae dispositione providentiae super omnes omnium gentium litteras omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subiecit. Ibi quippe scriptum est: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; et in alio psalmo legitur: Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius, dilatans exultationes universae terrae; et paulo post in eodem psalmo: Sicut audivimus, ita et vidimus, in civitate domini virtutum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in aeternum; item in alio: Fluminis inpetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio eius non commovebitur. His adque huius modi testimoniis, quae omnia commemorare nimis longum est, didicimus esse quandam civitatem Dei, cuius cives esse concupiscimus illo amore, quem nobis illius conditor inspiravit. Huic conditori sanctae civitatis cives terrenae civitatis deos suos praeferunt ignorantes eum esse Deum deorum, non deorum falsorum, hoc est inpiorum et superborum, qui eius incommutabili omnibusque communi luce privati et ob hoc ad quandam egenam potestatem redacti suas quodam modo privatas potentias consectantur honoresque divinos a deceptis subditis quaerunt; sed deorum piorum adque sanctorum, qui potius se ipsos uni subdere quam multos sibi, potiusque Deum colere quam pro Deo coli delectantur. Sed huius sanctae civitatis inimicis decem superioribus libris, quantum potuimus, domino et rege nostro adiuvante respondimus. Nunc vero quid a me iam expectetur agnoscens meique non inmemor debiti de duarum civitatum, terrenae scilicet et caelestis, quas in hoc interim saeculo perplexas quodam modo

diximus invicemque permixtas, exortu et excursu et debitis finibus, quantum valuero, disputare eius ipsius domini et regis nostri ubique opitulatione fretus adgrediar, primumque dicam, quem ad modum exordia duarum istarum civitatum in angelorum diversitate praecesserint.

Lib. XIV. Cap. I. Per inoboedientiam primi hominis omnes in secundae mortis perpetuitatem ruituros fuisse, nisi multos Dei gratia liberaret.

Diximus iam superioribus libris ad humanum genus non solum naturae similitudine sociandum, verum etiam quadam cognationis necessitudine in unitatem concordem pacis vinculo conligandum ex homine uno Deum voluisse homines instituere, neque hoc genus fuisse in singulis quibusque moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est unus ex nullo, altera ex illo, id inoboedientia meruissent, a quibus admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati et mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines usque adeo dominatum est, ut omnes in secundam quoque mortem, cuius nullus est finis, poena debita praecipites ageret, nisi inde quosdam indebita Dei gratia liberaret. Ac per hoc factum est, ut, cum tot tantaeque gentes per terrarum orbem diversis ritibus moribusque viventes multiplici linguarum armorum vestium sint varietate distinctae, non tamen amplius quam duo quaedam genera humanae societatis existerent, quas civitates duas secundum scripturas nostras merito appellare possemus. Una quippe est hominum secundum carnem, altera secundum spiritum vivere in sui cuiusque generis pace volentium et, cum id quod expetunt adsequuntur, in sui cuiusque generis pace viventium.

Cap. XXVIII. De qualitate duarum civitatum, terrenae adque caelestis.

Fecerunt itaque civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemtum Dei, caelestem vero amor Dei usque ad contentum sui. Denique illa in se ipsa, haec in Domino gloriatur. Illa enim quaerit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conscientiae testis maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum; haec dicit Deo suo: Gloria mea et exaltans caput meum. Illi in principibus eius vel in eis quas subiugat nationibus dominandi libido dominatur; in

hac serviunt invicem in caritate et praepositi consulendo et subditi obtemperando. ...

Lib. XV. Cap. I. ... Arbitror tamen satis non iam fecisse magnis et difficillimis quaestionibus de initio vel mundi vel animae vel ipsius generis humani, quod in duo genera distribuimus, unum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum vivunt; quas etiam mystice appellamus civitates duas, hoc est duas societates hominum, quarum est una quae praedestinata est in aeternum regnare cum Deo, altera aeternum supplicium subire cum diabolo. Sed iste finis est earum, de quo post loquendum est. Nunc autem quoniam de exortu earum sive in angelis, quorum numerus ignoratur a nobis, sive in duobus primis hominibus satis dictum est, iam mihi videtur earum adgrediendus excursus, ex quo illi duo generare coeperunt, donec homines generare cessabunt. Hoc enim universum tempus sive saeculum, in quo cedunt morientes succeduntque nascentes, istarum duarum civitatum, de quibus disputamus, excursus est.

Natus est igitur prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum civitatem, posterior Abel, ad civitatem Dei. ... Scriptum est itaque de Cain, quod condiderit civitatem; Abel autem tamquam peregrinus non condidit. Superna est enim sanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adveniat, cum congregatura est omnes in suis corporibus resurgentes, quando eis promissum dabitur regnum, ubi cum suo principe rege saeculorum sine ullo temporis fine regnabunt.

Cap. II. De filiis carnis et filiis promissionis.

Umbra sane quaedam civitatis huius et imago prophetica ei significandae potius quam praesentandae servivit in terris, quo eam tempore demonstrari oportebat, et dicta est etiam ipsa civitas sancta merito significantis imaginis, non expressae, sicut futura est, veritatis. ...

Cap. V. De primo terrenae civitatis auctore fratricida, cuius inpietati Romanae urbis conditor germani caede responderit.

Primus itaque fuit terrenae civitatis conditor fratricida; nam suum fratrem civem civitatis aeternae in hac terra peregrinantem invidentia victus occidit. Unde mirandum non est, quod tanto post in ea civitate condenda, quae fuerat huius

terrenae civitatis, de qua loquimur, caput futura et tam multis gentibus regnatura, huic primo exemplo et, ut Graeci appellant, ἀρχετύπῳ quaedam sui generis imago respondit. Nam et illic, sicut ipsum facinus quidam poeta commemoravit illorum,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Sic enim condita est Roma, quando occisum Remum a fratre Romulo Romana testatur historia; nisi quod isti terrenae civitatis ambo cives erant. ...

Lib. XVIII. Cap. I. De his, quae usque ad tempora Salvatoris decem et septem voluminibus disputata sunt.

De civitatum duarum, quarum Dei una, saeculi huius est altera, in qua est, quantum ad hominum genus pertinet, etiam ista peregrina, exortu et procursu et debitis finibus me scripturum esse promisi, cum prius inimicos civitatis Dei, qui conditori eius Christo deos suos praeferunt et livore sibi perniciosissimo atrociter invident Christianis, quantum me adiuvaret eius gratia, refellissem, quod voluminibus decem prioribus feci. De hac vero mea, quam modo commemoravi, tripertita promissione decimum sequentibus quattuor libris ambarum est digestus exortus, deinde procursus ab homine primo usque ad diluvium libro uno, qui est huius operis quintus decimus, adque inde usque ad Abraham rursus ambae, sicut in temporibus, ita et in nostris litteris cucurrerunt. Sed a patre Abraham usque ad regum tempus Israelitarum, ubi sextum decimum volumen absoluimus, et inde usque ad ipsius in carne Salvatoris adventum, quo usque septimus decimus liber tenditur, sola videtur in meo stilo cucurrisse Dei civitas; cum in hoc saeculo non sola cucurrerit, sed ambae utique in genere humano, sicut ab initio, simul suo procursu tempora variaverint. Verum hoc ideo feci, ut prius, ex quo apertiores Dei promissiones esse coeperunt, usque ad eius ex virgine nativitatem, in quo fuerant quae primo promittebantur inplenda, sine interpellatione a contrario alterius civitatis ista, quae Dei est, procurrens distinctius appareret; quamvis usque ad revelationem testamenti novi non in lumine, sed in umbra cucurrerit. Nunc ergo, quod intermiseram, video esse faciendum, ut ex Abrahae temporibus quo modo etiam illa cucurrerit, quantum satis videtur, adtingam, ut ambae inter se possint consideratione legentium conparari.

Lib. XIX. Cap. XVII. ... Haec ergo caelestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat adque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus legibus institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur, nihil eorum rescidens vel destruens, immo etiam servans ac sequens, quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrenae pacis intenditur, si religionem, qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non inpedit. Utitur ergo etiam caelestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrena et de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus humanarum voluntatum conpositionem, quantum salva pietate ac religione conceditur, tuetur adque adpetit eamque terrenam pacem refert ad caelestem pacem, quae vere ita pax est, ut rationalis dumtaxat creaturae sola pax habenda adque dicenda sit, ordinatissima scilicet et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo; quo cum ventum erit, non erit vita mortalis, sed plane certeque vitalis nec corpus animale, quod, dum corrumpitur, adgravat animam, sed spiritale sine ulla indigentia ex omni parte subditum voluntati. Hanc pacem, dum peregrinatur[1]), in fide habet, adque ex hac fide iuste vivit, cum ad illam pacem adipiscendam refert quidquid bonarum actionum gerit erga Deum et proximum, quoniam vita civitatis utique socialis est.

Lib. XX. Cap. XI. De Gog et Magog, quos ad persequendam ecclesiam Dei solutus prope finem saeculi diabolus incitabit.

Et cum finiti fuerint, inquit, mille anni, solvetur satanas de custodia sua, et exibit ad seducendas nationes, quae sunt in quattuor angulis terrae, Gog et Magog, et trahet eos in bellum, quorum numerus est ut harena maris.[2]) Ad hoc ergo tunc seducet, ut in hoc bellum trahat. Nam et antea modis quibus poterat per mala multa et varia seducebat. Exibit autem dictum est 'in apertam persecutionem de latebris erumpet odiorum'. Haec enim erit novissima persecutio, novissimo inminente iudicio, quam sancta ecclesia toto terrarum orbe patietur, universa scilicet civitas Christi ab universa diaboli civitate, quantacumque erit utraque super terram. Gentes

1) *Die Interpunktion der Hoffmannschen wie der Dombartschen Ausgabe ist hier berichtigt.*
2) *Apoc. 20, 7 sq.*

quippe istae, quas appellat Gog et Magog, non sic sunt accipiendae, tamquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sive quos quidam suspicantur Getas et Massagetas propter litteras horum nominum primas sive aliquos alios alienigenas et a Romano iure seiunctos. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse. ...

Lib. XXI. Cap. I. De ordine disputationis, qua prius disserendum est de perpetuo supplicio damnatorum cum diabolo quam de aeterna felicitate sanctorum.

Cum per Christum Dominum nostrum, iudicem vivorum adque mortuorum, ad debitos fines ambae pervenerint civitates, quarum est una Dei, altera diaboli, cuius modi supplicium sit futurum diaboli et omnium ad eum pertinentium, in hoc libro nobis, quantum ope divina valebimus, diligentius disputandum est. ...

Lib. XXII. Cap. I. De conditione angelorum et hominum.

Sicut in proximo libro superiore promisimus, iste huius totius operis ultimus disputationem de civitatis Dei aeterna beatitudine continebit, quae non propter aetatis per multa saecula longitudinem tamen quandocumque finiendam aeternitatis nomen accepit, sed quem ad modum scriptum est in evangelio, regni eius non erit finis. ...

Lib. XXII Cap. XXX. ... Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis?

Videor mihi debitum ingentis huius operis adiuvante Domino reddidisse. Quibus parum vel quibus nimium est, mihi ignoscant; quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant. Amen.

5. Paulus Orosius, Historiae adversum Paganos.

Herausg. K. Zangemeister, Corpus Scriptorum eccl. lat. Vindob. Bd. 5.

lib. I. *Prologus.* Praeceptis tuis parui, beatissime pater Augustine; atque utinam tam efficaciter quam libenter. Quamquam ego in utramvis partem parum de explicito movear,

rectene an secus egerim. Tu enim iam isto iudicio laborasti, utrumne hoc, quod praeciperes, possem: ego autem solius oboedientiae, si tamen eam voluntate conatuque decoravi, testimonio contentus sum. ...

Praeceperas mihi, uti adversus vaniloquam pravitatem eorum, qui alieni a civitate Dei ex locorum agrestium conpitis et pagis pagani vocantur sive gentiles quia terrena sapiunt, qui cum futura non quaerant, praeterita autem aut obliviscantur aut nesciant, praesentia tamen tempora veluti malis extra solitum infestatissima ob hoc solum quod creditur Christus et colitur Deus, idola autem minus coluntur, infamant: — praeceperas ergo, ut ex omnibus qui haberi ad praesens possunt historiarum atque annalium fastis, quaecumque aut bellis gravia aut corrupta morbis aut fame tristia aut terrarum motibus terribilia aut inundationibus aquarum insolita aut eruptionibus ignium metuenda aut ictibus fulminum plagisque grandinum saeva vel etiam parricidiis flagitiisque misera per transacta retro saecula repperissem, ordinato breviter voluminis textu explicarem. ...

lib. VI, 12. Exhaustis atque edomitis Gallis securus Caesar cum legionibus in Italiam rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescens, certo se sciens minime aliquos, qui vel moveri audeant vel si moveantur timendi sint, reliquisse. Constitui nunc ante oculos velim exsanguem defectamque Galliam, post illas ardentissimas febres internosque aestus vitalium meliora torrentes ut sese habeat, quanta macie quantoque pallore sit, quam demissa ac resoluta iaceat, quam ipsos quoque necessarii officii motus, ne eundem incursum malorum revocent, pertimescat. Inruit enim in eam repentino impetu Romanus exercitus veluti fortissimo corpori fortior lues, quae tanto gravius accenditur, quanto inpatientius toleratur. Sitiebat misera, cum instante gladio profiteri sponsionem servitutis aeternae avulsis insuper obsidibus cogeretur; sitiebat, ut dixi, notam illam omnibusque suavissimam velut aquae gelidae dulcedinem libertatis, quantoque eam magis subtrahi intellegebat, tanto avidius desiderabat. Hinc illa tam frequens contra vetita praesumptio: invadebatur pro defendenda libertate inportuna libertas praereptamque insatiabiliter potiundi licentiam, quod male conceptam perniciem restinguere videbatur, augebat. Hinc Romanus ante pugnam insidiator argutior, hinc in pugna hostis infestior, hinc post pugnam victor immitior, hinc omnia ad domandam inpatientiam crudescentia, hinc iam nec remediis credebatur. Itaque si interrogare possem hanc de qua loquimur nationem, quid tunc, cum haec ipsa sustinebat, de illis temporibus iudicarit, responderet ut arbitror dicens: 'sic me illa tunc febris exsanguem reddidit ac frigidam fecit, ut etiam haec, quae omnes paene perstrinxit, fervefacere vel commovere nequiverit, atque ita me Romani inclinaverunt, ut nec ad Gothos surgam'. Sed ne ipsa quidem Roma clades, quas intulit, evitavit. Exercitae diu auctaeque sunt per totos mundi cardines potentiae ducum viresque legionum, quae in sese concurrentes eius damno vincerent, cuius periculo vincerentur. Nam victorem Caesarem de Gallia reversum civilia bella comitata sunt aliaque gravissima mala, interfecti apud Parthos Crassi et trucidati exercitus, praecesserunt. ...

6. Salvianus, De gubernatione Dei.

Herausg. C. Halm, MG. Auct. Ant. 1.

lib. V. c. 4. Porro autem quantum ad conversationem Gothorum aut Wandalorum pertinet, quid est in quo eis aut praeponere nos aut etiam comparare possimus? Ac primum ut de affectu et caritate dicam (quam praecipuam dominus docet esse virtutem et quam non solum per omnes scripturas sacras, sed etiam per se ipse commendat dicens: in hoc scietur, quod discipuli mei estis, si vos invicem diligatis) omnes se fere barbari, qui modo sunt unius gentis et regis, mutuo amant, omnes paene Romani se mutuo persequuntur. ...

c. 5. ... Inter haec vastantur pauperes, viduae gemunt, orfani proculcantur, in tantum ut multi eorum, et non obscuris natalibus editi et liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persecutionis publicae adflictione moriantur, quaerentes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possunt. Et quamvis ab his, ad quos confugiunt, discrepent ritu, discrepent lingua, ipso etiam, ut ita dicam, corporum atque induviarum barbaricarum foetore dissentiant, malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem quam in Romanis iniustitiam saevientem. Itaque passim vel ad Gothos vel ad Bacaudas vel ad alios ubique dominantes barbaros migrant, et commigrasse non paenitet; malunt enim sub specie captivitatis vivere liberi quam sub specie libertatis esse captivi. Itaque nomen civium Romanorum, aliquando non solum magno aestimatum, sed magno emptum, nunc ultro repudiatur ac fugitur, nec vile tantum, sed etiam abominabile paene habetur. Et quod esse

maius testimonium Romanae iniquitatis potest, quam quod plerique et honesti et nobiles et quibus Romanus status summo et splendori esse debuit et honori, ad hoc tamen Romanae iniquitatis crudelitate compulsi sunt, ut nolint esse Romani? Et hinc est, quod etiam hi, qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen esse coguntur, scilicet ut est pars magna Hispanorum, et non minima Gallorum, omnes denique, quos per universum Romanum orbem fecit Romana iniquitas iam non esse Romanos.

7. Eugippius, Vita Severini.

Herausg. Th. Mommsen, MG. S.-A.

c. 7. Inter quos et Odovacar, qui postea regnavit Italiae, vilissimo tunc habitu iuvenis statura procerus advenerat. Qui dum se, ne humillimae tectum cellulae suo vertice contingeret, inclinasset, a viro dei gloriosum se fore cognovit. Cui etiam valedicenti: 'vade' inquit 'ad Italiam, vade, vilissimus nunc pellibus coopertus, sed multis cito plurima largiturus'. ...

c. 19. Batavis appellatur oppidum inter utraque flumina, Aenum videlicet atque Danuvium, constitutum, ubi beatus Severinus cellulam paucis monachis solito more fundaverat, eo quod ipse illuc saepius rogatus a civibus adveniret, maxime propter Alamannorum incursus assiduos, quorum rex Gibuldus summa eum reverentia diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum videndum desideranter occurrit. Cui sanctus obviam, ne ad ventu suo eandem civitatem praegravaret, egressus est, tantaque constantia regem est allocutus, ut tremere coram eo vehementius coeperit, secedensque suis exercitibus indicavit numquam se nec in re bellica nec aliqua formidine tanto fuisse tremore concussum. ...

c. 27. Eodem tempore mansores oppidi Quintanensis, creberrimis Alamannorum incursionibus iam defessi, sedes proprias relinquentes in Batavis oppidum migraverunt. Sed non latuit eosdem barbaros confugium praedictorum: qua causa plus inflammati sunt credentes, quod duorum populos oppidorum uno impetu praedarentur. Sed beatus Severinus orationi fortius incubans Romanos exemplis salutaribus multipliciter hortabatur, praenuntians hostes quidem praesentes dei auxilio superandos, sed post victoriam eos qui contemnerent eius monita perituros. Igitur Romani omnes sancti viri praedictione firmati spe promissae victoriae adversus Alamannos

instruxerunt aciem, non tam materialibus armis quam sancti viri orationibus praemuniti. Qua congressione victis ac fugientibus Alamannis vir dei ita victores alloquitur: 'filii, ne vestris viribus palmam praesentis certaminis imputetis, scientes idcirco vos dei nunc praesidio liberatos, ut hinc parvo intervallo temporis, quasi quibusdam concessis indutiis, discedatis. Mecum itaque ad oppidum Lauriacum congregati descendite'. Haec homo dei plenus pietate commonuit. Sed Batavinis genitale solum relinquere dubitantibus sic adiecit: 'quamvis et illud oppidum, quo pergimus, ingruente barbarie sit quantocius relinquendum, hinc tamen nunc pariter discedamus'. Talia commonentem secuti sunt plurimi, quidam vero reperti sunt contumaces, nec defuit contemptoribus gladius inimici. Quicumque enim ibidem contra hominis dei interdicta manserunt, Thoringis irruentibus in eadem hebdomada alii quidem trucidati, alii in captivitatem deducti poenas dedere contemptui. ...

c. 40. Deinde post multos agones et diuturna certamina, cum se idem beatus Severinus de hoc saeculo transiturum deo revelante sensisset, memoratum Rugorum regem Fevam cum uxore eius crudelissima nomine Giso ad se venire commonuit. Quem cum salutaribus exhortatus esset affatibus, ut ita cum sibi subiectis ageret, quo se iugiter cogitaret pro statu regni sui rationem domino redditurum, aliisque verbis intrepide monuisset, protenta manu regis pectus ostendens reginam his interrogationibus arguebat: 'Hanc' inquit 'animam, Giso, an aurum argentumque plus diligis?' Cumque illa maritum se diceret cunctis opibus anteferre, vir dei sapienter adiecit: 'ergo' inquit 'desine innocentes opprimere, ne illorum afflictio vestram magis dissipet potestatem: etenim mansuetudinem regiam tu saepe convellis'. At illa: 'cur' inquit 'nos sic accipis, serve dei?' Cui ipse: 'Contestor' ait 'vos ego humillimus iam profecturus ad deum, ut ab iniquis actibus temperantes piis insistatis operibus. Huc usque regnum vestrum auctore domino prosperatum est: iam ex hoc vos videritis'. His monitis rex cum coniuge sufficienter instructi valedicentes ei profecti sunt. Tunc sanctus non desinebat de suae migrationis vicinia suos alloqui dulcedine caritatis, quod quidem facere nec ante cessaverat. 'Scitote' inquit 'fratres, sicut filios Israel constat ereptos esse de terra Aegypti, ita cunctos populos terrae huius oportet ab iniusta barbarorum dominatione liberari. Etenim omnes cum suis facultatibus de his oppidis emigrantes ad Romanam provinciam

absque ulla sui captivitate pervenient. Sed mementote praecepti sancti Ioseph patriarchae, cuius vos ego indignus et infimus attestatione convenio: 'Visitatione visitabit vos deus: tollite ossa mea hinc vobiscum'. Quod non mihi sed vobis est profuturum. Haec quippe loca nunc frequentata cultoribus in tam vastissimam solitudinem redigentur, ut hostes aestimantes auri se quippiam reperturos etiam mortuorum sepulturas effodiant'. Cuius vaticinii veritatem eventus rerum praesentium comprobavit. Levari vero suum corpusculum pater sanctissimus, pietatis providus argumento praecepit, ut, dum generalis populi transmigratio provenisset, indivisa fratrum, quos adquisierat, congregatio proficiscens optentu memoriae eius in uno societatis sanctae vinculo permaneret. ...

8. Jordanis, Getica.

Herausg. Th. Mommsen, MG. Auct. Ant. 5, 1.

c. 57. Theodorico vero gentis suae regem audiens ordinato imperator Zeno grate suscepit eique evocaturia destinata ad se in urbe venire precepit, dignoque suscipiens honore inter proceres sui palatii conlocavit. Et post aliquod tempus ad ampliandum honorem eius in arma sibi eum filium adoptavit de suisque stipendiis triumphum in urbe donavit, factusque consul ordinarius, quod summum bonum primumque in mundo decus edicitur; nec tantum hoc, sed etiam et equestrem statuam ad famam tanti viri ante regiam palatii conlocavit. Inter haec ergo Theodoricus Zenonis imperio foedere sociatus, dum ipse in urbe omnibus bonis frueretur gentemque suam in Illyrico, ut diximus, residentem non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suae labore querere victum quam ipse otiose frui regni Romani bona et gentem suam mediocriter victitare, secumque deliberans ad principem ait: 'quamvis nihil deest nobis imperio vestro famulantibus, tamen, si dignum ducit pietas vestra, desiderium mei cordis libenter exaudiat'. Cumque ei, ut solebat, familiariter facultas fuisset loquendi concessa: 'Hesperia', inquit, 'plaga, quae dudum decessorum prodecessorumque vestrorum regimine gubernata est, et urbs illa caput orbis et domina quare nunc sub regis Thorcilingorum Rogorumque tyrranide fluctuatur? Dirige me cum gente mea, si praecepis, ut et hic expensarum pondere careas et ibi, si adiutus a domino vicero, fama vestrae pietatis inradiet. Expedit namque, ut ego, qui sum servus vester et filius, si vicero, vobis donantibus

regnum illud possedeam: haut ille, quem non nostis, tyrranico iugo senatum vestrum partemque rei publicae captivitatis servitio premat. Ego enim si vicero, vestro dono vestroque munere possedebo; si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, immo, ut diximus, lucratur expensas'. Quo audito quamvis egrae ferret imperator discessum eius, nolens tamen eum contristare annuit quae poscebat, magnisque ditatum muneribus dimisit a se, senatum populumque ei commendans Romanum. Igitur egressus urbe regia Theodoricus et ad suos revertens omnem gentem Gothorum, qui tamen ei prebuerunt consensum, Hesperiam tendit rectoque itinere per Sirmis ascendit vicina Pannoniae, indeque Venetiarum fines ingressus ad Pontem Sontii nuncupatum castra metatus est. Cumque ibi ad reficienda corpora hominum iumentorumque aliquanto tempore resedisset, Odoacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille ad campos Veronenses occurrens magno strage delevit castraque soluta finibus Italiae cum potiore audacia intrat, transactoque Pado amne ad Ravennam regiam urbem castra componit tertio fere miliario ab urbe locus, qui appellatur Pineta. Quod cernens Odoacer intus se in urbe communit; indeque subreptive noctu frequenter cum suis egrediens Gothorum exercitum inquietat, et hoc non semel nec iterum, sed frequenter et pene molitur toto triennio. Sed frustra laborat, quia cuncta Italia dominum iam dicebat Theodoricum et illius ad nutum res illa publica obsecundabat. Tantum ille solus cum paucis satellitibus et Romanos, qui aderant, et fame et bello cotidie intra Ravennam laborabat. Quod dum nihil proficeret, missa legatione veniam supplicat. Cui et primum concedens Theodoricus postmodum ab hac luce privavit tertioque, ut diximus, anno ingressus sui in Italia Zenonemque imp. consultu privatum abitum suaeque gentis vestitum seponens insigne regio amictu, quasi iam Gothorum Romanorumque regnator, adsumit missaque legatione ad Lodoin Francorum regem filiam eius Audefledam sibi in matrimonio petit. Quam ille grate libenterque concessit suosque filios Celdebertum et Heldebertum et Thiudebertum credens hac societate cum gente Gothorum inito foedere sociari. Sed non adeo ad pacis concordiam profuit ista coniunctio, quia saepenumero propter Gallorum terras graviter inter se decertati sunt, numquamque Gothus Francis cessit, dum viveret Theodoricus. ...

c. 58. ... nec fuit in parte occidua gens, quae Theodorico, dum adviveret, aut amicitia aut subiectione non deserviret. ...

c. 59. Sed postquam ad senium pervenisset et se in brevi ab hac luce egressurum cognusceret, convocans Gothos comites gentisque suae primates Athalaricum infantulum adhuc vix decennem, filium filiae suae Amalasuenthae, qui Eutharico patre orbatus erat, regem constituit, eisque in mandatis ac si testamentali voce denuntians, ut regem colerent, senatum populumque Romanum amarent principemque Orientalem placatum semper propitiumque haberent post deum. ...

c. 60.... Quod audiens Vitiges ut leo furibundus omnem Gothorum exercitum congregat Ravennaque egressus Romanas arces obsidione longa fatigat. Sed frustrata eius audacia post quattuordecim menses ab obsidione Romanae urbis aufugit et se ad Ariminensem oppressionem praeparat. Unde pari tenore frustratus fugatusque Ravenna se recepit; ubi obsessus nec mora ultro se ad partes dedit victoris cum Mathesuentha iugale regiasque opes. Et sic famosum regnum fortissimamque gentem diuque regnantem tandem pene duomillensimo et tricesimo anno victor gentium diversarum Iustinianus imperator per fidelissimum consulem vicit Belesarium, et perductum Vitiges Constantinopolim patricii honore donavit. Ubi plus biennio demoratus imperatorisque in affectu coniunctus rebus excessit humanis. Mathesuentham vero iugalem eius fratri suo Germano patricio coniunxit imperator. De quibus post humatum patris Germani natus est filius idem Germanus. In quo coniuncta Aniciorum genus cum Amala stirpe spem adhuc utriusque generi domino praestante promittit.

Haec hucusque Getarum origo ac Amalorum nobilitas et virorum fortium facta. Haec laudanda progenies laudabiliori principi cessit et fortiori duci manus dedit, cuius fama nullis saeculis nullisque silebitur aetatibus, sed victor ac triumphator Iustinianus imperator et consul Belesarius Vandalici Africani Geticique dicentur. Haec qui legis, scito me maiorum secutum scriptis ex eorum latissima prata paucos flores legisse, unde inquirenti pro captu ingenii mei coronam contexam. Nec me quis in favorem gentis praedictae, quasi ex ipsa trahenti originem, aliqua addidisse credat, quam quae legi et comperi. Nec si tamen cuncta, quae de ipsis scribuntur aut referuntur, complexus sum, nec tantum ad eorum laudem quantum ad laudem eius qui vicit exponens.

9. Gildas, De excidio et conquestu Britanniae.

Herausg. Th. Mommsen, MG. Auct. Ant. 13.

c. 21.... Picti in extrema parte insulae tunc primum et deinceps requieverunt, praedas et contritiones nonnumquam facientes. In talibus itaque indutiis desolato populo saeva cicatrix obducitur. Fame alia virulentiore tacitus pullulante, quiescente autem vastitate tantis abundantiarum copiis insula affluebat, ut nulla habere tales retro aetas meminisset, cum quibus omnimodis et luxuria crescit. Crevit etenim germine praepollenti, ita ut competenter eodem tempore diceretur: 'Omnino talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes.'[1]) Non solum vero hoc vitium, sed et omnia, quae humanae naturae accidere solent, et praecipue, quod et nunc quoque in ea totius boni evertit statum, odium veritatis cum assertoribus amorque mendacii cum suis fabricatoribus, susceptio mali pro bono, veneratio nequitiae pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio Satanae pro angelo lucis. Ungebantur reges non per deum, sed qui ceteris crudeliores exstarent, et paulo post ab unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur aliis electis trucioribus. Si quis vero eorum mitior et veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniae subversorem omnium odia telaque sine respectu contorquebantur. ...

c. 23. Tum omnes consiliarii una cum superbo tyranno caecantur, adinvenientes tale praesidium, immo excidium patriae, ut ferocissimi illi nefandi nominis Saxones deo hominibusque invisi, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur. Quo utique nihil ei usquam perniciosius nihilque amarius factum est. O altissimam sensus caliginem! O desperabilem crudamque mentis hebetudinem! Quos propensius morte, cum abessent, tremebant, sponte, ut ita dicam, sub unius tecti culmine invitabant. ...

10. Gregor von Tours, Historia Francorum.

Herausg. W. Arndt, MG. SS. Rer. Merov. 1.

Gregorii praefatio prima incipit.

Decedente atque immo potius pereunte ab urbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum, cum nonnullae res gere-

1) *1. Cor. 5, 1.*

rentur vel rectae vel inprobae, ac feretas gentium desaeviret, regum furor acueretur, ecclesiae inpugnarentur ab hereticis, a catholicis tegerentur, ferveret Christi fides in plurimis, tepisceret in nonnullis, ipsae quoque eclesiae vel ditarentur a devotis vel nudarentur a perfides, nec repperire possit quisquam peritus dialectica in arte grammaticus, qui haec aut stilo prosaico aut metrico depingeret versu: ingemescebant asepius plerique, dicentes: 'Vae diebus nostris, quia periit studium litterarum a nobis, nec repperiretur in populis, qui gesta praesentia promulgare possit in paginis'. Ista etenim atque et his similia iugiter intuens dici, pro commemoratione praeteritorum, ut notitiam adtingerint venientum, etsi incultu effatu, nequivi tamen obtegere vel certamena flagitiosorum vel vitam recte viventium; et praesertim his inlicitus stimulis, quod a nostris fari plerumque miratus sum, quia philosophantem rhetorem intellegunt pauci, loquentem rusticum multi. Libuit etiam animo, ut pro suppotatione annorum ab ipso mundi principio libri primi poniretur initium, cuius capitula deursum subieci.

In Christi Nomen incipit historiarum liber primus.

Scripturus bella regum cum gentibus adversis, martyrum cum paganis, ecclesiarum cum hereticis, prius fidem meam proferre cupio, ut qui ligirit me non dubitet esse catholicum. Illud etiam placuit propter eos, qui adpropinquantem mundi finem disperant, ut, collectam per chronicas vel historias anteriorum annorum summam, explanitur aperte, quanti ab exordio mundi sint anni. Sed prius veniam legentibus praecor, si aut in litteris aut in sillabis grammaticam artem excessero, de qua adplene non sum inbutus; illud tantum studens, ut quod in eclesia credi praedicatur sine aliquo fuco aut cordis hesitatione reteneam, quia scio, peccatis obnoxium per credulitatem puram obtenire posse veniam apud Deum. ...

lib. II. c. 27. His ita gestis, mortuo Childerico, regnavit Chlodovechus, filius eius, pro eo. Anno autem quinto regni eius Siacrius Romanorum rex, Egidi filius, apud civitatem Sexonas, quam quondam supra memoratus Egidius tenuerat, sedem habebat. Super quem Chlodovechus cum Ragnechario, parente suo, quia et ipse regnum tenebat, veniens, campum pugnae praeparar deposcit. Sed nec iste distolit ac resistere metuit. Itaque inter se utrisque pugnantibus, Syagrius elisum cernens exercitum, terga vertit et ad Alaricum regim Tholosa curso veluci perlabitur. Chlodovechus vero ad Alaricum mittit,

ut eum redderit, alioquin noverit, sibi bellum ob eius retentionem inferri. Ad ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurrerit, ut Gothorum pavere mos est, vinctum legatis tradedit. Quem Chlodovechus receptum custodiae mancipare praecipit; regnoque eius acceptum, eum gladio clam feriri mandavit. Eo tempore multae aeclesiae a Chlodoveco exercitu depraedatae sunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus. Igitur de quadam eclesia urceum mirae magnitudinis ac pulchritudinis hostes abstulerant, cum reliqua eclesiastici ministerii ornamenta. Episcopus autem eclesiae illius missus ad regem dirigit, poscens, ut si aliud de sacris vasis recipere non meretur, saltim vel urceum aeclesia sua reciperit. Haec audiens rex, ait nuntio: 'Sequere nos usque Sexonas, quia ibi cuncta que adquisita sunt dividenda erunt. Cumque mihi vas illud sors dederit, quae papa poscit, adimpleam.' Dehinc adveniens Sexonas, cunctum onus praedae in medio positum, ait rex: 'Rogo vos, o fortissimi proeliatores, ut saltim mihi vas istud' – hoc enim de urceo supra memorato dicebat, – 'extra partem concidere non abnuatis'. Haec regi dicente, illi quorum erat mens sanior aiunt: 'Omnia, gloriose rex, quae cernimus, tua sunt, sed et nos ipsi tuo sumus dominio subiugati. Nunc quod tibi bene placitum viditur facito; nullus enim potestati tuae resistere valet'. Cum haec ita dixissent, unus levis, invidus ac facilis, cum voce magna elevatam bipennem urceo inpulit, dicens: 'Nihil hinc accipies, nisi quae tibi sors vera largitur.' Ad haec obstupefactis omnibus, rex iniuriam suam patientiae lenitate coercuit, acceptumque urceum nuntio eclesiastico reddidit, servans abditum sub pectore vulnus. Transacto vero anno, iussit, omnem cum armorum apparatu advenire falangam, ostensuram in campo Marcio horum armorum nitorem. Verum ubi cunctus circuire diliberat, venit ad urcei percussorem; cui ait: 'Nullus tam inculta ut tu detulit arma; nam neque tibi hasta neque gladius neque securis est utilis.' Et adpraehensam securem eius terrae deiecit. At ille cum paulolum inclinatus fuisset ad colegendum, rex, elevatis manibus, securem suam capite eius defixit. 'Sic', inquid, 'tu Sexonas in urceo illo fecisti'. Quo mortuo, reliquos abscedere iubet, magnum sibi per hanc causam timorem statuens. Multa bella victuriasque fecit. Nam decimo regni sui anno Thoringis bellum intulit eosdemque suis diccionibus subiugavit. ...

lib.V. c. 44. Per idem tempus Chilpericus rex scripsit indiculum, ut sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tan-

tum Deus nominaretur, asserens indignum esse, ut Deus persona sicut homo carneus nominetur; adfirmans etiam, ipsum esse Patrem, qui est Filius, idemque ipsum esse Spiritum sanctum, qui Pater et Filius. 'Sic', inquid, 'prophetis ac patriarchis apparuit, sic eum ipsa lex nuntiavit'. Cumque haec mihi recitare iussisset, ait: 'Sic', inquid, 'volo, ut tu vel reliqui doctores eclesiarum credatis.' Cui ego respondi: 'Hac credulitate relicta, pie rex, hoc te oportit sequi, quod nobis post apostolus alii doctores eclesiae reliquerunt, quod Elarius Eusebiusque[1]) docuerunt, quod et in baptismo es confessus.' Tunc iratus rex ait: 'Manifestum est mihi in hac causa Elarium Eusebiumque validos inimicos habere.' Cui ego respondi: 'Observare [te] convenit, neque Deum neque sanctos eius habere offensos. Nam scias, quia in persona aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus sanctus. Non Pater carnem adsumpsit neque Spiritus sanctus, sed Filius, ut, qui erat Dei filius, ipse ad redemptionem hominis filius haberetur et virginis. Non Pater passus neque Spiritus sanctus, sed Filius, ut, qui carnem adsumpserat in mundo, ipse offerretur pro mundo. De personis vero quod ais non corporaliter, sed spiritaliter sentiendum est. In his ergo tribus personis una gloria, una aeternitas, una potestas.' At ille commotus ait: 'Sapientioribus a te haec pandam, qui mihi consentiant.' Et ego: 'Numquam erit sapiens, sed stultus, qui haec quae proponis sequi voluerit.' Ad haec ille frendens, siluit. Non post multos vero dies adveniente Salvio Albigense episcopo, haec ei praecepit recensire, depraecans, ut sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens, ita respuit, ut, si cartam, in qua haec scripta tenebantur, potuisset attingere, in frustra discerperit. Et sic rex ab hac intentione quievit. Scripsit alios libros idem rex versibus, quasi Sedulium secutus; sed versiculi illi nulla paenitus metricae conveniunt ratione. Addit autem et litteras litteris nostris, id est ω, sicut Graeci habent, ae, the, uvi, quarum caracteres hi sunt: ω Θ, ae ψ, the Ζ, uui Δ. Et misit epistulas in universis civitatibus regni sui, ut sic pueri docerentur, ac libri antiquitus scripti, planati pomice rescriberentur. ...

lib.VI. c. 46. His itaque cum haec praeda pergentibus, Chilpericus, Nero nostri temporis et Herodis, ad villam Calensem,

1) Eusebius fuit Vercellensis episcopus, qui cum Hilario Pictavensi egregie contra haereticos sanctae Trinitatis impugnatores decertavit. *Ruinart.*

quae distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis, accedit; ibique venationes exercit. Quadam vero die regressus de venatione iam subobscura nocte, dum de equo susceperitur et unam manu super scapulam pueri reteniret, adveniens quidam eum cultro percutit sub ascellam iteratoque ictu ventrem eius perforat; statimque profluente cupia sanguinis tam per os quam per aditum vulneris, iniquum fugit spiritum. Quam vero maliciam gesserit, superior lectio docet. Nam regiones plurimas sepius devastavit atque succendit; de quibus nihil doloris sed laetitiam magis habebat, sicut quondam Nero, cum inter incendia palatii tragidas decantaret. Persaepe hominis pro facultatibus eorum iniuste punivit. In cuius tempore pauci quodammodo episcopatum clerici meruerunt. Erat enim gulae deditus, cuius deus venter fuit. Nullumque sibi adserebat esse prudentiorem. Conficitque duos libros, quasi Sidulium meditatus, quorum versiculi debilis nullis pedibus subsistere possunt; in quibus, dum non intellegebat, pro longis sillabas breves posuit et pro breves longas statuebat; et alia opuscula vel ymnus sive missas, quae nulla ratione suscipi possunt. Causas pauperum exosas habebat. Sacerdotes Domini assiduae blasphemabat nec aliunde magis, dum secricius esset, exercebat ridicula vel iocos, quam de eclesiarum episcopis. Illum ferebat levem, alium superbum, illum habundantem, istum luxoriosum; illum adserebat elatum, hunc tumidum. Nullum plus odio quam eclesias habens. Aiebat enim plerumque: 'Ecce pauper remansit fiscus noster, ecce divitiae nostrae ad eclesias sunt translatae; nulli penitus nisi soli episcopi regnant; periet honor noster et translatus est ad episcopus civitatum.' Haec agens, assiduae testamenta, quae in eclesias conscripta erant, plerumque disrupit ipsasque patris sui praeceptiones, potans, quod non remanerit qui voluntatem eius servaret, saepe calcavit. Iam de libidine atque luxoria non potest repperire in cogitatione, quod non perpetrasset in opere, novaquae semper ad ledendum populum ingenia perquaerebat; nam, si quos hoc tempore culpabilis repperisset, oculos eis iobebat erui. Et in praeceptionibus, quas ad iudicis pro suis utilitatibus dirigebat, haec addebat: 'Si quis praecepta nostra contempserit, oculorum avulsione multetur.' Nullum umquam pure dilexit, a nullo dilectus est; ideoque, cum spiritum exalasset, omnes eum reliquerunt sui. Mallulfus autem Silvanectensis episcopus, qui iam tertia die in tenturio resedebat et ipsum videre non poterat, ut eum interemptum audivit, advenit; ablutumque vestimentis melio-

ribus induit, noctem in hymnis deductam, in nave levavit et in basilica sancti Vincenti, quae est Parisius, sepelivit, Fredegunde regina in ecclesia derelicta.

Explicit in Christi nomine historiarum liber sextus. Deo gratias. Amen.

11. Papst Gregor I. der Große, Dialogi.

Herausg. G. Waitz, MG. SS. Rer. Langob.

lib. III, c. 18. Frater quidam mecum est in monasterio conversatus, in scriptura sancta studiosissimus, qui me aetate praeibat, ex multis quae nesciebam me aedificare consueverat. Huius itaque narratione dedici, quod fuit quidam in Campaniae partibus intra quadragisimum Romanae urbis miliarium nomine Benedictus, et quidem aetate iuvenis, sed moribus grandaevus et in sanctae conversationis regula se fortiter stringens. Quem Totilae regis tempore cum Gothi repperissent, hunc incendere cum sua cella moliti sunt. Ignem namque posuerunt; sed in circuitu arserunt omnia, cella vero illius igne comburi non potuit. Quod videntes Gothi magisque saevientes atque hunc ex suo habitaculo trahentes, non longe aspexerunt succenso clibanum, qui coquendis panibus parabatur, eumque in illo proiecerunt clibanumque clauserunt. Sed die altero ita inlaesus inventus est, ut non solum eius caro ab ignibus, sed neque extrema ullo modo vestimenta cremarentur. ...

c. 19. Huic tam antiquo miraculo diebus nostris res similes e contrario evenit elemento. Nam nuper Iohannis tribunus relatione sua me docuit, quod Pronuulfus comis cum ilico adessit, se cum rege Authari eo tempore in loco eodem, ubi mira res contigit, adfuisse eamque se cognovisse, testatus est. Praedictus etenim tribunus narravit, dicens: quia ante hoc fere quinquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est, tantumque crescens, ut eius unda super muros urbis influeret atque in ea maximas regiones occuparet, apud Veronensem urbem fluvius Atesis excrescens, ad beati Zenonis martyris atque pontificis ecclesiam venit. Cuius ecclesiae dum essent ianuae apertae, aqua in eam minime intravit. Quae paulisper crescens, usque ad fenestras ecclesiae, quae erant tectis proximae, pervenit; sicque stans aqua ecclesiae ianuam clausit, acsi illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset inmutatum. Cumque essent multi interius inventi, sed, aquarum magnitudine ecclesia omni circumdata, qua possent egredi non haberent ibique se siti ac fame deficere formidarent, ad ecclesiae ianuam veniebant, ad bibendum auriebant aquam; quae, ut praedixi, usque ad fenestras excreverat et tamen intra ecclesia nullo modo diffluebat. Auriri itaque ut aqua poterat, sed difflui ut aqua non poterat. Stans autem ante ianuam ad ostendendum cunctis meritum martyris et aqua erat ad adiutorium, et quasi aqua non erat ad invadendum locum.

12. Isidor von Sevilla, Historia Gothorum. Chronica.

Herausg. Th. Mommsen, MG. Auct. Ant. 11.

a) Historia Gothorum.

c. 28. 29. *Atque ita Huni,* qui tot cladibus antea deminuti fuerant, *rursus mutuis sese gladiis conciderunt.* In quibus mirum illud est, ut, dum omne proelium detrimentum habeat populorum, isti vice versa cadendo proficiant: sed proinde, quia in disciplina fidelium positi sunt, sicut populus gentis Persarum. Virga enim furoris dei sunt et, quotiens indignatio eius adversus fideles procedit, per eos flagellantur, ut eorum adflictionibus emendati a saeculi cupiditate et peccato semet ipsos coerceant et caelestis regni hereditatem possideant. Adeo autem haec gens horrida est, ut, cum famem in bello fuerit passa, venam tangat equi et sic excludat hausto sanguine famem.

Recapitulatio. c. 66–70. Gothi de Magog Iafeth filio orti cum Scythis una probantur origine sati, unde nec longe a vocabulo discrepant. Demutata enim ac detracta littera Getae quasi Scythae sunt nuncupati. Hi igitur occidentis glacialia iuga inhabitantes quaequae sunt ardua montium cum ceteris gentibus possidebant. Quibus sedibus inpetu gentis Hunorum pulsi Danuvium transeunt, Romanis se dedunt. Sed dum iniurias eorum non sustinerent, indignati arma sumunt, Thraciam inruunt, Italiam vastant, obsessam urbem capiunt, Gallias adgrediuntur patefactisque Pyrenaeis montibus Spanias usque perveniunt ibique sedem vitae atque imperium locaverunt. Populi natura pernices, ingenio alacres, conscientiae viribus freti, robore corporis validi, staturae proceritate ardui, gestu habituque conspicui, manu prompti, duri vulneribus, iuxta quod ait poeta de ipsis: mortem contemnunt laudato vulnere Getae. Quibus tanta extitit magnitudo bellorum et

tam excellens gloriosae victoriae virtus, ut Roma ipsa victrix omnium populorum subacta captivitatis iugo Geticis triumphis adcederet et domina cunctarum gentium illis ut famula deserviret. Hos Europae omnes tremuere gentes. Alpium his cessere obices. Wandalica et ipsa crebro opinata barbaries non tantum praesentia eorum exterrita quam opinione fugata est. Gothorum vigore Alani extincti sunt. Suevi quoque hactenus intra inaccessos Spaniarum angulos coartati etiam nunc eorum armis periculum finis experti sunt et regno, quod desidioso torpore tenuerunt, turpiori nunc dispendio caruerunt. Quamquam tenuisse huc usque valde sit mirum, quod sine experimento defensionis carere potuerunt. Sed quis poterit tantum Geticae gentis edicere virium magnitudinem, quandoquidem multis gentibus vix precum causa et munerum regnare licuerit, his tamen libertas magis de congressione quam de petita contigit pace atque ubi sese necessitas bellandi opposuit, vires eos potius adhibuisse quam preces. Porro in armorum artibus satis spectabiles sunt et non solum hastis, sed et iaculis equitando confligunt, nec equestri tantum proelio, sed et pedestri incedunt, verumtamen magis equitum praepeti cursu confidunt, unde et poeta: Getes, inquit, quo pergit equo. Exercere enim sese telis ac proeliis praeludere maxime diligunt. Ludorum certamina usu cotidiano gerunt. Hac sola tantum armorum experientia hucusque carebant, quod classica bella in mari gerere non studebant. Sed postquam Sisebutus princeps regni sumpsit sceptra, ad tantam felicitatis virtutem provecti sunt, ut non solum terras, sed et ipsa maria suis armis adeant subactusque serviat illis Romanus miles, quibus servire tot gentes et ipsam Spaniam videt.

b) Chronica Maiora.

c. 1. Brevem temporum per generationes et regna primus ex nostris Iulius Africanus sub imperatore Marco Aurelio Antonino simplici historiae stilo elicuit. Deinde Eusebius Caesariensis atque sanctae memoriae Hieronymus chronicorum canonum multiplicem ediderunt historiam regnis simul ac temporibus ordinatam, post hos alii atque alii. Inter quos praecipue Victor Tonnonensis ecclesiae episcopus recensitis praedictorum historiis gesta sequentium aetatum usque ad consulatum Iustini iunioris explevit.

c. 2. Horum nos temporum summam ab exordio mundi usque ad Augusti Heraclii vel Sisebuti regis principatum quanta

potuimus brevitate notavimus, adicientes e latere descendentem lineam temporum, cuius indicio summa praeteriti saeculi cognoscatur.

c) Chronicorum Epitome.

c. 3. Aetas autem proprie duobus modis dicitur: aut enim hominis, sicut infantia iuventus senectus, aut mundi, cuius prima est aetas ab Adam usque ad Noe: secunda a Noe usque ad Abraham: tertia ab Abraham usque ad David: quarta a David usque ad transmigrationem Iuda in Babylonia: quinta deinde usque ad adventum salvatoris in carne: sexta, quae nunc agitur, usque quo mundus iste finiatur. Quorum decursus per generationes et regna ita inspicitur.

13. Jonas von Susa, Vita S. Columbani.

Herausg. Br. Krusch, MG. SS. Rer. Merov. 4.

lib. I, c. 18. Creverat iam passim fama sancti viri in universas Galliae vel Germaniae provincias, eratque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, in tantum ut Theudericus rex, qui eo regnabat in tempore, ad eum saepe veniret et orationum suarum suffragio omni cum humilitate deposcerit. ... Ad quem saepissime cum veniret, coepit vir Dei eum increpare, quur concubinarum adulteriis misceretur et non potius legitimi coniugii solamina frueretur, ut regalis prolis ex honorabilem reginam prodiret et non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumque iam ad viri Dei imperium regis sermo obtemperaret et se omnibus inlicitis segregare responderet, mentem Brunichildis aviae, secundae ut erat Zezabelis, antiquus anguis adiit eamque contra virum Dei stimulatam superbiae aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theudericum oboedire. Verebatur enim, ne si, abiectis concubinis, reginam aulae praefecisset, dignitates atque honoris suae modum amputasset.

c. 19. Evenit ergo, ut quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret. Erat enim tunc apud Brocariacum villam. Cumque illa eum in aulam venisse cerniret, filios Theuderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit; quos cum vidisset, sciscitatur, quid sibi vellint. Cui Brunichildis ait: 'Regis sunt filii; tu eos tua benedictione robora'. At ille: 'Nequaquam', inquid, 'istos regalia sceptra suscepturus scias, quia de lupanaribus emerserunt'. Illa furens parvolus abire iubet. Egrediens vir Dei regiam aulam,

dum limitem transiliret, fragor exorta totam domum quatiens omnibus terrorem incussit nec tamen misere feminae furorem conpescuit. ...

c. 28. Interea inter Theudericum Theudebertumque lis firmatur, ac quisque adversus fratrem usque ad internitionem desevit, utrisque gentium robore superbientibus. Interque vir Dei ad Theudebertum accedit eumque suadet, ut coepte arrogantiae supercilium deponeret seque clericum faceret, et in ecclesia positus, sacre subderetur religione, ne simul cum damna presentis regni aeternae pateretur vitae dispendia. Quod et regi et omnibus circumadstantibus ridiculum excitat, aientes, se numquam audisse, Mervengum, in regno sublimatum, voluntarium clericum fuisse. Detestantibus ergo omnibus beatus Columba ait: 'Si voluntarius nullatenus clericatus honorem sumat, in brevi invitus clericus existat'. His ergo dictis, vir Dei ad cellolam remeat, moxque prophetici dicti eventum res non diu dilata adfirmat. ...

14. Fredegar, Chronik.

Herausg. Br. Krusch, MG. SS. Rer. Merov. 2.

lib. IV. c. 26. ... Anno 10. regni Theuderici Protadius, instigante Brunechilde, Teuderico iobente, maior domi substituetur,

c. 27. cum esset nimium argutissimus et strenuus in cunctis, sed saeva illi fuit contra personas iniquitas; fiscum nimium stringens, de rebus personarum ingeniose fisco vellens implere et se ipsum ditare. Quoscumque de gentem nobilem repperiret, totusque humiliare conabat, ut nullus repperiretur, qui gratum quem adriperat potuisset adsumere. Haec his et alies nimia sagatitate vexatus, maximae cunctos in regno Burgundiae locratus est inimicus. Cum Brunechildis nepotem suum Teudericum integra adsiduetate monerit, ut contra Teudebertum moverit exercitum, dicens, quasi Theudebertus non esset filius Childeberti, nisi cuiusdam ortolanum, et Protadius ipsoque consilio adsistens, tandem iusso Teuderici movetur exercitus. Quod cum loco nomen Caratiaco Teudericus cum exercito castra metasset, ortabatur a leudibus suis, ut cum Theudeberto pacem iniret. Protadius singulos ortabatur, ut prilium committeretur. Teudebertus nec procul exinde cum exercito resedebat. Tunc omnes exercitus Teuderici, inventa occasione, supra Protagio inruunt, dicentes, melius esse uno hominem moriturum, quam totum exercitum in periculum missum. Protadius in tenturio Teuderici regis cum Petro archyatro tabulam ludens sedebat. Cum eum undique iam exercitus circumdasset, et Teudericum leudis suae tenebant, ne illuc adgrederit, misit Uncelenum, ut suae iussionis verbum nunciaret exercitum, ut se de insidias Protadiae removerint. Uncilenus protinus ad exercitum nuncians dixit: 'Sic iobet domnus Theudericus, ut interficiatur Protadius'. Inruentes super eum, tenturium regis gladio undique incidentis, Protadium interficiunt. Teudericus confusus et coactus cum fratri Teudeberto pacem inivit, et inlesus uterque exercitus revertit ad propriis sedibus.

15. Origo Gentis Langobardorum.

Herausg. G. Waitz, MG. SS. Rer. Langob.

In nomine Domini incipit origo gentis Langobardorum.

Est insula qui dicitur Scadanan, quod interpretatur excidia, in partibus aquilonis, ubi multae gentes habitant; inter quos erat gens parva quae Winnilis vocabatur. Et erat cum eis mulier nomine Gambara, habebatque duos filios, nomen uni Ybor et nomen alteri Agio; ipsi cum matre sua nomine Gambara principatum tenebant super Winniles. Moverunt se ergo duces Wandalorum, id est Ambri et Assi, cum exercitu suo, et dicebant ad Winniles: 'Aut solvite nobis tributa, aut praeparate vos ad pugnam et pugnate nobiscum'. Tunc responderunt Ybor et Agio cum matre sua Gambara: 'Melius est nobis pugnam praeparare, quam Wandalis tributa persolvere'. Tunc Ambri et Assi, hoc est duces Wandalorum, rogaverunt Godan, ut daret eis super Winniles victoriam. Respondit Godan dicens: 'Quos sol surgente antea videro, ipsis dabo victoriam'. Eo tempore Gambara cum duobus filiis suis, id est Ybor et Agio, qui principes erant super Winniles, rogaverunt Fream, [uxorem Godam], ut ad Winniles esset propitia. Tunc Frea dedit consilium, ut sol surgente venirent Winniles et mulieres eorum crines solutae circa faciem in similitudinem barbae et cum viris suis venirent. Tunc luciscente sol dum surgeret, giravit Frea, uxor Godan, lectum ubi recumbebat vir eius, et fecit faciem eius contra orientem, et excitavit eum. Et ille aspiciens vidit Winniles et mulieres ipsorum habentes crines solutas circa faciem; et ait: 'Qui sunt isti longibarbae'? Et dixit Frea et Godan:

'Sicut dedisti nomen, da illis et victoriam'. Et dedit eis victoriam, ut ubi visum esset vindicarent se et victoriam haberent. Ab illo tempore Winnilis Langobardi vocati sunt.[1])

16. Liber Pontificalis.[2])

Herausg. Th. Mommsen, MG. Gesta Pontificum Romanorum I.

LXXXV. Conon.

〈Conon
〈natione Grecus〉 ‖
oriundus 〈patre Traceseo, edocatus apud Siciliam,〉 postmodum Romam veniens eiusdem ecclesiae militans ad presbyterii honorem devenit. 〈Sedit menses XI.〉

In cuius electione, dum ad episcopatum quereretur, non minima contentio facta est, eo quod clerus in Petrum archipresbiterum intendebat, exercitus autem in sequentem eius Theodorum presbiterum. Et clerus quidem adunatus ante fores basilicae Constantiniane sustinebat, eo quod qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regias bassilicae clausas observabant et minime quemquam ingredi permittebant; exercitus autem omnis in basilica beati Stephani protumartyris similiter fuerant adunati; et neque illi clero consentiebant neque clerus exercitui adquiescebant pro supra scriptis presbiterorum personis.

Et dum missi ab utrisque partibus responso irent diutius et redirent et nihil proficeret ad concordiam, consilio ducti sacerdotes et clerus unianimiter ingredientes in episcopio Lateranense eligerunt et denominaverunt tertiam personam supra fati pontificis, in quo vere aspectus angelicus, veneranda canities, sermo verus, provecta etas, simplex animus, quieti mores religiosae vite, qui se numquam aliquando in causis actusque seculares commiserat. E vestigio autem omnes iudices una cum primatibus exercitus pariter ad eius salutationem venientes in eius laude omnes simul adclamaverunt. Videns autem exercitus unianimitatem cleri populique in decreto eius subscribentium, post aliquod dies et ipsi flexi sunt et consenserunt in persona praedicti sanctissimi viri atque

1) *Vgl. unten Nr. 23.*
2) *Über die allmähliche Entstehung und Schichtung dieses Werkes vgl. (zur ersten Orientierung) A. Werminghoff, Religion in Gesch. u. Gegenw. 3, 2099ff.*

in eius decreto devota mente subscribserunt et missos pariter una cum clericis et ex populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt.

〈Hic suscepit divalem iussionem domni Iustiniani〉 principis, 〈per quam significat repperisse acta sancte sextae synodi et apud se habere, quem piae memorie〉 domnus 〈Constantinus genitor eius deo auxiliante fecerat. Quem〉 synodum 〈promittens〉 eius pietas inlibatum et inconcussum 〈perenniter〉 custodire atque 〈conservare. Huius temporibus pietas imperialis relevavit per sacram iussionem suam ducenta annonocapita, quas patrimonii Brittius et Lucaniae annue persolvebat.〉 Itemque et aliam iussionem direxit, ut restituantur familia supra scripti patrimonii et Siciliae, quae in pignere a militia detinebantur.

Hic ultra consuetudinem absque consensu cleri ex inmissione malorum hominum in antipathia ecclesiasticorum Constantinum diaconum ecclesiae Syracusanae rectorem in patrimonio Siciliae constituit, hominem perperum et tergiversutum; sed et mappulum ad cavalicandum uti licentiam ei concessit. Et non post multum temporis transitum pontificis seditio super eum orta a civibus et patrimoniales a iudice provinciae sub arta custodia retrusus pro eo quod in dissensionem iudicum invenibatur, sententiae imperiali discutiendum direxit.

Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus, ut etiam vix ordinationes sacerdotum explere potuisset, obiit. 〈Hic dimisit omni clero,〉 monasteriis diaconiae et mansionariis 〈benedictionem in auro, sicuti praecessor eius Benedictus papa. Cuius archidiaconus videns〉 eundem 〈pontificem infirmitate constrictum〉 atque 〈cupiditate ductus praedicti legati, unde necdum est persolutum, scripsit Ravenna glorioso Iohanni〉 noxo exarcho atque 〈promittens dationem, ut persona eius ad pontificatum eligeretur. Quod et demandavit suis iudicibus, quos Romae〉 ordinavit et 〈direxit ad disponendam civitatem, ut post mortem pontificis eiusdem archidiaconi persona eligeretur.

Fecit〉 autem 〈episcopos〉 per diversa loca 〈numero XVI〉. Qui etiam 〈sepultus est ad beatum Petrum〉 apostolum, 〈sub die XXI mens. Sept.〉.

Et 〈cessavit episcopatum mens. II dies XXIII〉.

17. Beda, Historia Ecclesiastica gentis Anglorum.

Herausg. C. Plummer, Oxford 1896.[1])

Historiam gentis Anglorum ecclesiasticam, quam nuper edideram, libentissime tibi desideranti, rex, et prius ad legendum ac probandum transmisi, et nunc ad transscribendum ac plenius ex tempore meditandum retransmitto; satisque studium tuae sinceritatis amplector, quo non solum audiendis scripturae sanctae verbis aurem sedulus accommodas, verum etiam noscendis priorum gestis sive dictis, et maxime nostrae gentis virorum inlustrium, curam vigilanter impendis. Sive enim historia de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor sollicitus instigatur; seu mala commemoret de pravis, nihilominus religiosus ac pius auditor sive lector devitando quod noxium est ac perversum, ipse sollertius ad exsequenda ea, quae bona ac Deo digna esse cognoverit, accenditur. Quod ipsum tu quoque vigilantissime deprehendens, historiam memoratam in notitiam tibi simul et eis, quibus te regendis divina praefecit auctoritas, ob generalis curam salutis latius propalari desideras.

Ut autem in his, quae scripsi, vel tibi, vel ceteris auditoribus sive lectoribus huius historiae occasionem dubitandi subtraham, quibus haec maxime auctoribus didicerim, breviter intimare curabo. ...

Praeterea omnes, ad quos haec eadem historia pervenire potuerit nostrae nationis, legentes sive audientes, suppliciter precor, ut pro meis infirmitatibus et mentis et corporis apud supernam clementiam saepius intervenire meminerint; et in suis quique provinciis hanc mihi suae remunerationis vicem rependant, ut, qui de singulis provinciis sive locis sublimioribus, quae memoratu digna atque incolis grata credideram, diligenter adnotare curavi, apud omnes fructum piae intercessionis inveniam.

lib. II, c. 9. Quo tempore etiam gens Nordanhymbrorum, hoc est ea natio Anglorum, quae ad Aquilonalem Humbre fluminis plagam habitabat, cum rege suo Aeduino verbum fidei praedicante Paulino, cuius supra meminimus, suscepit. Cui videlicet regi, in auspicium suscipiendae fidei et regni caelestis, potestas etiam terreni creverat imperii; ita ut, quod nemo Anglorum ante eum, omnes Brittaniae fines, qua vel ipsorum vel Brettonum provinciae habitabant, sub dicione

1) *Vgl. auch die Ausgabe von A. Holder, 2. Aufl. Freiburg 1890.*

acciperet. Quin et Mevanias insulas, sicut et supra docuimus, imperio subiugavit Anglorum; quarum prior, quae ad austrum est, et situ amplior, et frugum proventu atque ubertate felicior, nongentarum LX familiarum mensuram iuxta aestimationem Anglorum, secunda trecentarum et ultra spatium tenet. ...

Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto, rex collecto exercitu venit adversus gentem Occidentalium Saxonum, ac bello inito universos, quos in necem suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reversus, non statim et inconsulte sacramenta fidei Christianae percipere voluit; quamvis nec idolis ultra servivit, ex quo se Christo serviturum esse promiserat. Verum primo diligentius ex tempore, et ab ipso venerabili viro Paulino rationem fidei ediscere, et cum suis primatibus, quos sapientiores noverat, curavit conferre, quid de his agendum arbitrarentur. Sed et ipse, cum esset vir natura sagacissimus, saepe diu solus residens ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum conloquens, quid sibi esset faciendum, quae religio servanda tractabat.

lib. III, c. 5. ... Ferunt autem, quia, cum de provincia Scottorum rex Osvald postulasset antistitem, qui sibi suaeque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primo alius austerioris animi vir, qui, cum aliquandiu genti Anglorum praedicans nihil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit patriam, atque in conventu seniorum rettulerit, quia nil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset, eo quod essent homines indomabiles, et durae ac barbarae mentis. At illi, ut perhibent, tractatum magnum in concilio, quid esset agendum, habere coeperunt; desiderantes quidem genti, quam petebantur, saluti esse, sed de non recepto, quem miserant, praedicatore dolentes. Tum ait Aedan, nam et ipse concilio intererat, ad eum, de quo agebatur, sacerdotem: 'Videtur mihi, frater, quia durior iusto indoctis auditoribus fuisti, et non eis iuxta apostolicam disciplinam primo lac doctrinae mollioris porrexisti[1]), donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, et ad facienda sublimiora Dei praecepta sufficerent'. Quo audito omnium, qui considebant, ad ipsum ora et oculi conversi, diligenter, quid diceret, discutiebant, et ipsum esse dignum episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos et indoctos mitti debere decernunt, qui gratia

1) *1. Cor. III, 2.*

discretionis, quae virtutum mater est, ante omnia probabatur inbutus; sicque illum ordinantes ad praedicandum miserunt. Qui ubi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum et ceteris virtutibus ornatus apparuit.

c. 17. ... Scripsi autem haec de persona et operibus viri praefati[1]); nequaquam in eo laudans aut eligens hoc, quod de observatione paschae minus perfecte sapiebat; immo hoc multum detestans, sicut in libro, quem de temporibus conposui, manifestissime probavi; sed quasi verax historicus, simpliciter ea, quae de illo sive per illum sunt gesta, describens, et quae laude sunt digna in eius actibus laudans, atque ad utilitatem legentium memoriae commendans; studium videlicet pacis et caritatis, continentiae et humilitatis; animum irae et avaritiae victorem, superbiae simul et vanae gloriae contemtorem; industriam faciendi simul et docendi mandata caelestia, solertiam lectionis et vigiliarum, auctoritatem sacerdote dignam, redarguendi superbos ac potentes, pariter et infirmos consolandi, ac pauperes recreandi vel defendendi clementiam. Qui, ut breviter multa conprehendam, quantum ab eis, qui illum novere, didicimus, nil ex omnibus, quae in evangelicis vel apostolicis sive propheticis litteris facienda cognoverat, praetermittere, sed cuncta pro suis viribus operibus explere curabat. Haec in praefato antistite multum conplector et amo, quia nimirum haec Deo placuisse non ambigo. Quod autem pascha non suo tempore observabat, vel canonicum eius tempus ignorans, vel suae gentis auctoritate ne agnitum sequeretur devictus, non adprobo nec laudo. In quo tamen hoc adprobo, quia in celebratione sui paschae non aliud corde tenebat, venerabatur, et praedicabat, quam quod nos; id est, redemtionem generis humani per passionem, resurrectionem, ascensionem in caelos mediatoris Dei et hominum hominis Iesu Christi.[2]) Unde et hanc non, ut quidam falso opinantur, XIIII[a] luna in qualibet feria cum Iudaeis, sed die dominica semper agebat, a luna XIIII[a] usque ad XX[am]; propter fidem videlicet dominicae resurrectionis, quam una sabbati factam, propterque spem nostrae resurrectionis, quam eadem una sabbati, quae nunc dominica dies dicitur, veraciter futuram cum sancta ecclesia credebat.

lib. V, c. 24. ... Haec de historia ecclesiastica Brittaniarum, et maxime gentis Anglorum, prout vel ex litteris antiquorum, vel ex traditione maiorum, vel ex mea ipse cognitione scire potui, Domino adiuvante digessi Baeda famulus Christi, et presbyter monasterii beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod est ad Viuraemuda, et Ingyruum.

1) *Aidan.* 2) *1. Tim. II.*

Qui natus in territorio eiusdem monasterii, cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reverentissimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido; cunctumque ex eo tempus vitae in eiusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi; atque inter observantiam disciplinae regularis, et cotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui.

Nono decimo autem vitae meae anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, utrumque per ministerium reverentissimi episcopi Iohannis, iubente Ceolfrido abbate, suscepi.

Ex quo tempore accepti presbyteratus usque ad annum aetatis meae LVIIII, haec in scripturam sanctam meae meorumque necessitati ex opusculis venerabilium patrum breviter adnotare, sive etiam ad formam sensus et interpretationis eorum superadicere curavi. *Folgt die Aufzählung seiner Werke.*

18. Liber Historiae Francorum.

Herausg. Br. Krusch, MG. SS. Rer. Merov. 2.

c. 1. Principium regum Francorum eorumque origine vel gentium illarum ac gesta proferamus. Est autem in Asia opidum Troianorum, ubi est civitas quae Illium dicitur, ubi regnavit Aeneas. ...

c. 51. Eo tempore Pippinus febre valida correptus, mortuus est obtenuitque principatum sub suprascriptos reges annis 27 et dimidio. Plectrudis quoque cum nepotibus suis vel rege cuncta gubernabat sub discreto regimine. In illis diebus, instigante diabulo, Franci denuo Cocia silva in Francos invicem inruunt ac sese mutuo dirissima cede prosternunt. Theudoaldus autem per fugam lapsus, ereptus est; fuitque illo tempore valida persequutio. Theudoaldo enim fugato, Ragamfredo in principatum maiorum palacii elegerunt. Qui, commoto cum rege exercitu, Carbonaria silva transeuntes, usque Mosam fluvium terras illas vastantes succenderunt; cum Radbode duce gentile amicicias feriunt. Carlus his diebus cum captus a Plectrude femina sub custodia teneretur, auxiliante Domino, vix evasit.

19. Frühkarlingische Annalistik.

Herausg. G. H. Pertz,

MG. SS. 1.

Annales Sancti Amandi.

Anni incarnationis dominicae.

708. quando Droco mortuus fuit in vernale tempore.

709. quando Pippinus perrexit in Suavis contra Vilario.

710. iterum Pippinus in Suavis contra Vilario.

711. quando Walericus duxit exercitum Francorum in Suavis contra Vilario.

712. quidam episcopus duxit exercitum Francorum in Suavis contra Vilario.

713. depositio Subdoberto episcopo in mense Martio.

714. depositio Grimoaldo in mense Aprili, et depositio Pippino in mense Decembrio.

Annales Laureshamenses.

708. Drocus mortuus.

709. vernus durus et deficiens fructus; et Gotafridus mortuus.

710. Pippinus migrat in Alamania.

711. aquae inundaverunt valde; et mors Hildeberti.

712. mors Herberti regis Langobardorum.

713. mors Alfrede et Adulfi regis.

714. mors Pippini.

Annales Alamannici.

708. (709.) Hiemps dura; Drogo mortuus.

709. (710.) annus durus et deficiens fructus. Gotefrid moritur.

710. (711.) Pippinus perrexit in Alamanniam.

711. (712.) aquae inundaverunt; et mors Hildiberti regis.

712.

713. mors Hasdulfi regis.

714. Pippinus maior domus defunctus est.

Annales Petaviani.

708. quando Drogo mortuus fuit tempore vernis.

709. quando domnus Pipinus perrexit in Suavis contra Wilarium.

710. item Pipinus in Suavis contra Wilarium.

711. tunc *aquae inundaverunt valde; et Childebertus mortuus est*[1]); et exercitus Francorum in Suavis.

712. item exercitus Francorum in Suavis contra Wilarium; et *Heribertus rex Langobardorum mortuus est.*

713. *mors Agledulfi regis*, et depositio Siutberti episcopi.

714. domnus Pipinus *mortuus est* in mense Decembrio, et Grimoldus similiter defunctus est.

1) *Über die Anwendung verschiedener Drucktypen vgl. Pertz, a. a. O. Praefatio 5.*

715. quando Saxones vastaverunt terram Chatuariorum.

715. pugna Franchorum; et mors Dagoberti regis.

716. quando Radbodus venit in Colonia mense Martio.

716. in isto anno pugnavit Carolus contra Ratbot.

717. bellum fuit inter Karolum et Ragenfredem in Vinciaco mense Martio, media quadragesima, die dominica.

717. pugnavit Carolus Francos in Vinciaco, in dominica die ante pascha.

718. Karolus primum fuit in Saxonia.

718. vastavit Carolus Saxoniam plaga magna.

719. Radbodus obiit.

719. occisio Franchorum ad Suessiones civitate; et mors Ratbodi.

720. Karlus bellum habuit contra Saxones.

720. pugnavit Carolus contra Saxones.

721.

721. eiecit Heudo Saracinos de Aquitania.

722.

722. magna fertilitas; et bella contra aquiloniam.

723.

723. duo filii Dragoni ligati; et Carolus infirmatur.

715. pugna Franchorum; et mors Dagoberti regis iunioris.

715. *Dagobertus rex mortuus est*; et Saxones devastaverunt terram Hattuariorum.

716. pugnavit Karolus cum Rathpoto.

716. quando Ratbodus venit Coloniam in mense Martio; tunc *pugnavit Karolus contra* eum.

717. pugnavit Karolus cum Raginfrido rege in Vinciaco in dominico die.

717. quando bellum fuit Vinciago inter Karolum et Ragenfridum in die dominico, die 15. *ante pascha.*

718. vastavit Karolus Saxoniam plaga magna.

718. fuit autem tunc prius Karolus in Saxonia, et *vastavit eam plaga magna* usque Viseram.

719. occisio Francorum ad Suessiones civitatem; et mors Rathboti.

719. Ratbodus mortuus est.

720. pugnavit Karolus contra Saxones.

720. quando bellum habuit Karolus contra Saxones.

721. eiecit Theudo Saracenos de Equitania.

721. *expugnavit Eodo Saracenos de terra sua.*

722. magna fertilitas.

722. fuit *fertilitas magna, et bella contra aquilonem.*

723. duo filii Karoli ligati, Arnold, Druogo, et unus mortuus, et Karolus infirmatus.

723. *duo filii Drogonis ligati et unus mortuus; et Karolus infirmatur.*

20. Fortsetzer des Fredegar.

Herausg. Br. Krusch, MG. SS. Rer. Merov. 2.

731. c. 13. Per idem tempus Eodone duce a iure foederis recedente. Quo conperto per internuntios, Carlus princeps, commoto exercito, Liger fluvium transiens, ipso duce Eodone fugato, praeda multa sublata, bis eo anno ab his hostibus populata, iterum remeatur ad propria. Eodo namque dux cernens se superatum atque derisum, gentem perfidam Saracinorum ad auxilium contra Carlum principem et gentem Francorum excitavit. Egressique cum rege suo Abdirama nomine, Geronna transeunt, Burdigalensem urbem pervenerunt; ecclesiis igne concrematis, populis consumptis, usque Pectavis profecti sunt; basilica sancti Hilarii igne concremata, quod dici dolor est, ad domum beatissimi Martini evertendam destinant. Contra quos Carlus princeps audacter aciem instruit, super eosque belligerator inruit. Christo auxiliante, tentoria eorum subvertit, ad proelium stragem conterendam accurrit, interfectoque rege eorum Abdirama, prostravit, exercitum proterens, dimicavit atque decivit: sicque victor de hostibus triumphavit.

c. 34. Usque nunc inluster vir Childebrandus comes, avunculus praedicto rege Pippino, hanc historiam vel gesta Francorum diligentissime scribere procuravit. Abhinc ab inlustre viro Nibelungo, filium ipsius Childebrando, itemque comite, succedat auctoritas.

21. Annales Mettenses Priores.

Herausg. B. v. Simson, MG. S-A.

714. ... Defuncto autem Pippino maxima conturbatio orta est in gente Francorum. Nam maiores natu filii eius, Drogo et Grimoaldus, ipso vivente vitae discesserant. Theodaldus Grimoaldi ex concubina filius adhuc puer erat. Qui etsi patri in principatu successerat, minime tamen tantae rei culmen digne gubernare prevalebat. Carolus vero, quem solum pater dignum heredem tantae potestatis superstitem reliquerat, novercales insidias graviter tolerabat. Plectrudis etenim, Grimoaldi genitrix, dum nepoti suo Theodaldo favere desiderat, Carolum a legitima paterni imperii gubernatione prohibebat, ipsa cum infantulo muliebri consilio tanti regni habenas tractare presumebat. Quod dum crudelius quam oporteret astu

femineo disponere decreverat, iram Niwistrium Francorum in nepotis sui interitum et principum qui cum eo exstiterant celeriter convertit. Qui in exercitum Theodaldi in Cotia silva repentino impetu irruentes cede maxima trucidarunt. Theodaldus cum paucis vix evasit. Qui non multo post tempore vitam innocentem finivit. Cuius in locum Raginfridum maiorem domus sub Dagoberto rege constituunt. Tunc gens illa omnium beneficiorum invicti principis Pippini pariter oblita, in Austrasiam toto impetu properantes, usque ad Mosam fluvium totam illam regionem vastaverunt. Fedus quoque cum Radbodo duce Frisionum contra Pippinos pacti sunt. Sed Dominus, *qui dat et non improperat*, Carolum de insidiis novercalibus eruens, palam eum trepidantibus populis manifestum produxit. Tunc veluti cum sol preclaros radios eclipsin ad modicum passus cuncto exerit orbi, sic Pippini Karolus dignissimus haeres languentibus et pene desperantibus de salute populis robustissimus defensor illuxit. Ut autem aperte cunctanti plebi apparuit, tanto favore tantaque gratulatione ab universis susceptus est, acsi dominator eorum Pippinus ad consolationem eorum revixisset.

22. Willibald, Vita Bonifatii.

Herausg. W. Levison, MG. S.-A.

Postquam igitur fidei, ut praediximus, per Fresiam inluxeret splendor et felix sanctis huius vitae adpropinquaret finis, iam quidem secus ripam fluminis quod dicitur Bordne, quod est in confinibus eorum, qui rustica dicuntur lingua Ostor- et Westeraeche, suorum tantum stipatus clientum numero, erexit tentoria. Sed quia festum confirmationis neobitorum diem et nuper baptizatorum ab episcopo manus inpositionis et confirmationis populo praedixerat iam longe lateque disperso, ad propriam unusquisque reversus est domum, ut secundum diffinitam sancti episcopi sententiam universi praedistinato confirmationis eorum die praesentarentur.

Cum autem praedictus dies inluxisset et aurora lucis, orto iam sole, prorumperet, tunc etiam versa vice pro amicis inimici et novi denique lictores pro noviciis fidei cultoribus advenerant, hostiumque ingens in castra, bibrantibus armis, astata ac scutata inruerat multitudo. Tunc repente ex adverso pueri e castris prosilientes, utrubique se armis inpetunt et sanctos contra insensatum – postmodum martyres – fu-

rentes populi exercitum defendere gestiunt. Sed vir Dei statim, audito tumultuantis turbae inpetu, accito ad se clericorum clero, sumptis sanctorum reliquiis quas secum indesinenter habere consueverat, e tentorio procedit. Et confestim increpando pueris pugnae interdixit certamen, dicens: 'Cessate, pueri, a conflictu pugnaeque deponite bellum, quoniam sripturae testimonio veraciter erudimur, et ne malum pro malo, sed etiam bonum pro malis reddamus. Iam enim diu optatus adest dies et spontaneum resolutionis nostrae tempus inminet. Confortamini igitur in Domino et permissionis suae gratiam gratanter sufferte; sperate in eum, et liberavit animas vestras.' Sed et adstantes tam presbiteros quam etiam diacones inferiorisque ordinis viros, Dei subditos servitio, patria admonens voce, ait: 'Viri fratres, forti estote animo, et ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quoniam animam sine fine manentem necare non possunt; sed gaudete in Domino et spei vestrae ancoram in Deum figite, quia extimplo perpetuae reddet vobis remunerationis mercedem et caelestis aulae sedem cum supernis angelorum civibus condonat. Nolite vos vana huius mundi delectatione subicere, nolite caducis gentilium adolationibus delectare; sed subitaneum hic constanter subite mortis articulum, ut regnare cum Christo possitis in evum.' Cumque tali doctrinae hortamento discipulos ad coronam martyrii affabiliter incitabat, confestim furens super eos paganorum tumultus cum gladiis cunctaque militiae armatura inruit et felici sanctorum cede corpora cruentavit.

23. Paulus Diaconus, Historia Langobardorum.

Herausg. L. Bethmann und G. Waitz, MG. SS. Rer. Lang.

lib. I, c. 8. Refert hoc loco antiquitas ridiculam fabulam: quod accedentes Wandali ad Godan victoriam de Winnilis postulaverint, illeque responderit, se illis victoriam daturum quos primum oriente sole conspexisset. Tunc accessisse Gambara ad Fream, uxorem Godan, et Winnilis victoriam postulasse, Freaque consilium dedisse, ut Winnilorum mulieres solutos crines erga faciem ad barbae similitudinem conponerent maneque primo cum viris adessent seseque Godan videndas pariter et regione, qua ille per fenestram orientem versus erat solitus aspicere, conlocarent. Atque ita factum fuisse. Quas cum Godan oriente sole conspiceret, dixisse: 'Qui sunt isti longibarbi'? Tunc Frea subiunxisse, ut quibus

nomen tribuerat victoriam condonaret. Sicque Winnilis Godan victoriam concessisse. Haec risui digna sunt et pro nihilo habenda. Victoria enim non potestati est adtributa hominum, sed de caelo potius ministratur.

c. 9. Certum tamen est, Langobardos ab intactae ferro barbae longitudine, cum primis Winnili dicti fuerint, ita postmodum appellatos. Nam iuxta illorum linguam 'lang' longam, 'bart' barbam significat. Wotan sane, quem adiecta littera Godan dixerunt, ipse est qui apud Romanos Mercurius dicitur et ab universis Germaniae gentibus ut deus adoratur; qui non circa haec tempora, sed longe anterius, nec in Germania, sed in Graecia fuisse perhibetur.[1])

lib. III, c. 30. Flavius vero rex Authari legatos post haec ad Baioariam misit, qui Garibaldi eorum regis filiam sibi in matrimonium peterent. Quos ille benigne suscipiens, Theudelindam suam filiam Authari se daturum promisit. Qui legati revertentes cum haec Authari nuntiassent, ille per semet ipsum suam sponsam videre cupiens, paucis secum sed expeditis ex Langobardis adhibitis, unumque sibi fidelissimum et quasi seniorem secum ducens, sine mora ad Baioariam perrexit. Qui cum in conspectum Garibaldi regis iuxta morem legatorum introducti essent, et his qui cum Authari quasi senior venerat post salutationem verba, ut moris est, intulisset: Authari, cum a nullo illius gentis cognosceretur, ad regem Garibaldum propinquius accedens ait: 'Dominus meus Authari rex me proprie ob hoc direxit, ut vestram filiam, ipsius sponsam, quae nostra domina futura est, debeam conspicere, ut, qualis eius forma sit, meo valeam domino certius nuntiare'. Cumque rex haec audiens filiam venire iussisset, eamque Authari, ut erat satis eleganti forma, tacito nutu contemplatus esset, eique satis per omnia complacuisset, ait ad regem: 'Quia talem filiae vestrae personam cernimus, ut eam merito nostram reginam fieri optemus, si placet vestrae potestati, de eius manu, sicut nobis postea factura est, vini poculum sumere praeoptamus'. Cumque rex id, ut fieri deberet, annuisset, illa, accepto vini poculo, ei prius qui senior esse videbatur propinavit. Deinde cum Authari, quem suum esse sponsum nesciebat, porrexisset, ille, postquam bibit ac poculum redderet, eius manu, nemine animadvertente, digito tetigit dexteramque suam sibi a fronte per nasum ac faciem

1) *Vgl oben Nr. 15.*

produxit. Illa hoc suae nutrici rubore perfusa nuntiavit. Cui nutrix sua ait: 'Iste nisi ipse rex et sponsus tuus esset, te omnino tangere non auderet. Sed interim sileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim vera digna persona est, quae tenere debeat regnum et tuo sociari coniugio'. Erat autem tunc Authari iuvenali aetate floridus, statura decens, candido crine perfusus et satis decorus aspectu. Qui mox, a rege comeatu accepto, iter patriam reversuri arripiunt deque Noricorum finibus festinanter abscedunt. Noricorum siquidem provincia, quam Baioariorum populus inhabitat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suaviam, a meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danuvii fluenta. Igitur Authari cum iam prope Italiae fines venisset secumque adhuc qui eum deducebant Baioarios haberet, erexit se quantum super equum cui praesidebat potuit et toto adnisu securiculam, qua manu gestabat, in arborem quae proximior aderat fixit eamque fixam reliquit, adiciens haec insuper verbis: 'Talem Authari feritam facere solet'. Cumque haec dixisset, tunc intellexerunt Baioarii qui cum eo comitabantur, eum ipsum regem Authari esse. Denique post aliquod tempus, cum propter Francorum adventum perturbatio Garibaldo regi advenisset, Theudelinda, eius filia, cum suo germano nomine Gundoald ad Italiam confugiit seque adventare Authari suo sponso nuntiavit. Cui statim ille obviam cum magno apparatu nuptias celebraturus in campum Sardis, qui super Veronam est, occurrens, eandem cunctis laetantibus in coniugium Idus Maias accepit. Erat autem tunc ibi inter ceteros Langobardorum duces Agilulf dux Taurinensium civitatis. Quo in loco cum perturbato aere lignum quoddam, quod in regiis septis situm erat, cum magno tonitruorum fragore vi fulminis ictum fuisset, habebat tunc Agilulf quendam de suis aruspicem puerum, qui per artem diabolicam, quid futurum portenderent ictus fulminum, intellegebat. Qui secrete, cum Agilulf ad requisita naturae resideret, eidem dixit: 'Mulier ista, quae modo regi nostro nupsit, tua non post multum tempus coniux futura est'. Quod ille audiens, caput se eius amputaturum, si hac de re amplius aliquid diceret, comminatus est. Cui ille: 'Ego quidem', inquid, 'occidi possum; nam certe ad hoc ista in hanc patriam femina venit, ut tuis debeat nuptiis copulari'. Quod ita quoque post factum est. Hoc tempore, quam ob causam incertum est, Ansul, cognatus regis Authari, aput Veronam est interfectus.

24. Annales Regni Francorum.

Herausg. Fr. Kurze, MG. S.-A.

Annales Regni Francorum.

745.

DCCXLV. Tunc Carlomannus confessus est Pippino germano suo, quod voluisset seculum relinquere; et in eodem anno nullum fecerunt exercitum, sed praeparaverunt se uterque, Carlomannus ad iter suum et Pippinus, quomodo germanum suum honorifice direxisset cum muneribus.

786.

DCCLXXXVI. Tunc domnus Carolus rex misit exercitum suum partibus Brittaniae una cum misso suo Audulfo sinescalco; et ibi multos Brittones conquesierunt una cum castellis et firmitates eorum locis palustribus seu et in caesis. Et sicut supra diximus, in multis firmitatibus Brittonum praevaluerunt Franci et cum victoria Domino volente reversi sunt et capitaneos eorum ad synodum repraesentabant supradicto domno rege in Wormatiam.

Annales q. d. Einhardi.

745.

DCCXLV. Hoc anno Carlomannus, quod diu ante praemeditatus est, patefecit fratri suo Pippino, saecularem conversationem se velle dimittere et habitu monachico Deo servire. Propter hoc dimissa expeditione anni praesentis ad vota Carlomanni perficienda et iter illius disponendum — nam Romam proficisci statuerat — et Pippinus vacabat, dans operam, ut frater honorifice ac decenter illo, quo desiderabat, perveniret.

786.

DCCLXXXVI. Cum et hiemis tempus expletum et sanctum pascha in Attiniaco villa fuisset a rege celebratum, exercitum in Brittanniam cismarinam mittere constituit. Nam cum ab Anglis ac Saxonibus Brittannia insula fuisset invasa, magna pars incolarum eius mare traiciens in ultimis Galliae finibus Venetorum et Coriosolitarum regiones occupavit. Is populus a regibus Francorum subactus ac tributarius factus inpositum sibi vectigal licet invitus solvere solebat. Cumque eo tempore dicto audiens non esset, missus illuc regiae mensae prae-

Tunc domnus rex Carolus praespiciens, se ex omni parte Deo largiente pacem habere, sumpsit consilium orationis causae ad limina beatorum apostolorum iter peragendi et causas Italicas disponendi, et cum missis imperatoris placitum habendi de convenentiis eorum; quod ita factum est. Tunc suprascriptus domnus rex natalem Domini celebravit in Florentia civitate.

794.

DCCXCIIII. Pascha celebratum est in Franconofurt; ibique congregata est synodus magna episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum in praesentia iamfati principis et missorum domni apostolici Adriani, quorum nomina haec sunt, Theofilactus et Stephanus episcopi. Ibi tertio condempnata est heresis Feliciana, quam dampnationem per auctoritatem sanctorum patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes sacerdotes manibus

positus Audulfus perfidae gentis contumaciam mira celeritate compressit regique apud Wormaciam et obsides, quos acceperat, et complures ex populi primoribus adduxit.

Rex pace undique parta statuit Romam proficisci et partem Italiae, quae nunc Beneventus vocatur, adgredi conveniens esse arbitratus, ut illius regni residuam portionem suae potestati subiceret, cuius caput in capto Desiderio rege maioremque partem in Langobardia iam subacta tenebat. Nec diu moratus, sed contractis celeriter Francorum copiis in ipsa hiemalis temporis asperitate Italiam ingreditur. Cumque in Florentia Tuscorum civitate natalem Domini celebrasset, quanta potuit celeritate Romam ire contendit.

794.

DCCXCIIII. Rex propter condemnandam heresim Felicianam aestatis initio, quando et generalem populi sui conventum habuit, concilium episcoporum ex omnibus regni sui provinciis in eadem villa congregavit. Adfuerunt etiam in eadem synodo et legati sanctae Romanae ecclesiae, Theophylactus ac Stephanus episcopi, vicem tenentes eius, a quo missi sunt, Adriani papae. In quo concilio et heresis memorata condemnata est et liber contra eam communi

propriis subscripserunt. Ibi obiit Fastrada regina et in sancto Albano honorifice sepulta est. Pseudosynodus Grecorum, quam falso septimam vocabant, pro adorandis imaginibus fecerunt, reiecta est a pontificibus.

798.

Nordliudi contra Thrasuconem ducem Abodritorum et Eburisum legatum nostrum conmisso proelio acie victi sunt. Caesa sunt ex eis in loco proelii quattuor milia, ceteri, qui fugerunt et evaserunt, quanquam multi et ex illis cecidissent, de pacis conditione tractaverunt. Et rex acceptis obsidibus, etiam et his, quos perfidissimos primores Saxonum consignabant, in Franciam reversus est.

episcoporum auctoritate compositus, in quo omnes propriis manibus subscripserunt. Synodus etiam, quae ante paucos annos in Constantinopoli sub Herena et Constantino filio eius congregata et ab ipsis non solum septima, verum etiam universalis est appellata, ut nec septima nec universalis haberetur diceturve, quasi supervacua in totum ab omnibus abdicata est. Mortua est ibi et Fastrada regina, et Mogontiaci apud sanctum Albanum sepulta.

798.

Transalbiani autem superbia elati, eo quod regis legatos inpune occidere potuerunt, arreptis armis contra Abodritos proficiscuntur. Nam Abodriti auxiliares Francorum semper fuerunt, ex quo semel ab eis in societatem recepti sunt. Quorum dux Thrasco cognito Transalbianorum motu eis cum omnibus copiis suis in loco, qui Suentana vocatur, occurrit commissoque proelio ingenti eos caede prostravit. Nam in prima congressione quattuor milia eorum cecidisse narravit legatus regis Eburis nomine, qui in eodem proelio fuit et in Abodritorum acie dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique et multis suorum amissis cum magna calamitate ad loca sua reversi sunt.

799.

Wido comes, qui in marcam Brittaniae praesidebat, una cum sociis comitibus Brittaniam ingressus totamque perlustrans in deditionem accepit; et regi de Saxonia reverso arma ducum, qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus praesentavit. Nam his se et terram et populum unusquisque illorum tradidit, et tota Brittaniorum provincia, quod numquam antea, a Francis subiugata est.

801.

DCCCI. Ipsa die sacratissima natalis Domini, cum rex ad missam ante confessionem beati Petri apostoli ab orâtione surgeret, Leo papa coronam capiti eius imposuit, et a cuncto Romanorum populo adclamatum est: 'Carolo augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria!' Et post laudes ab apostolico more antiquorum principum adoratus est atque ablato patricii nomine imperator et augustus est appellatus.

Post paucos autem dies iussit eos, qui pontificem anno superiore deposuerunt, exhiberi; et habita de eis questione secundum legem Romanam ut maiestatis rei capitis dampnati sunt. Pro quibus tamen papa pio affectu apud imperatorem intercessit; nam et vita et membrorum integritas eis concessa est, ceterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Huius factionis fuere principes Paschalis nomenclator et Campulus sacellarius et multi alii Romanae urbis habitatores nobiles, qui simul omnes eadem sententia dampnati sunt.

799.

Rebus itaque Saxonum pro rerum oportunitate dispositis rex in Franciam revertitur. Et cum Aquisgrani hiemaret, Wido comes ac praefectus Brittanici limitis, qui eodem anno cum sociis comitibus totam Brittonum provinciam perlustraverat, arma ducum, qui se dediderunt, inscriptis singulorum nominibus detulit. Videbatur enim, quod ea provincia tum esset ex toto subacta; et esset, nisi perfidae gentis instabilitas cito id aliorsum more solito commutasset.

801.

DCCCI. Ipse autem cum die sacratissima natalis Domini ad missarum solemnia celebranda basilicam beati Petri apostoli fuisset ingressus et coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, adsisteret, Leo papa coronam capiti eius inposuit, cuncto Romanorum populo adclamante: 'Karolo augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria!' Post quas laudes ab eodem pontifice more antiquorum principum adoratus est ac deinde omisso patricii nomine imperator et augustus appellatus est.

Post paucos vero dies iubente ipso hi, qui eundem pontificem anno superiore deposuerunt, in iudicium adducti et habita de eis questione secundum legem Romanam ut maiestatis rei capitis damnati sunt. *Von jetzt ab werden die beiden Fassungen im Druck nicht mehr unterschieden.*

Ordinatis deinde Romanae urbis et apostolici totiusque Italiae non tantum publicis, sed etiam ecclesiasticis et privatis rebus — nam tota hieme non aliud fecit imperator — missaque iterum in Beneventanos expeditione cum Pippino filio suo ipse post pascha VII. Kal. Mai. Roma profectus Spoletium venit.

Ibi dum esset, II. Kal. Mai. hora noctis secunda terrae motus maximus factus est, quo tota Italia graviter concussa est. Quo motu tectum basilicae beati Pauli apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit et in quibusdam locis urbes montes ruerunt. Eodem anno loca quaedam circa Renum fluvium et in Gallia et in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hiberni temporis facta est.

Imperator de Spoletio Ravennam veniens aliquot dies ibi moratus Papiam perrexit. Ibi nuntiatur ei, legatos Aaron Amir al Mumminin regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obviam mittens inter Vercellis et Eporeiam eos sibi fecit praesentari.

---

1) Emir al Mummenin = princeps fidelium.

25. Einhard, Vita Karoli Magni.

Herausg. O. Holder-Egger, MG. S.-A., 6. Aufl.

Vitam et conversationem et ex parte non modica res gestas domini et nutritoris mei Karoli, excellentissimi et merito famosissimi regis, postquam scribere animus tulit, quanta potui brevitate conplexus sum, operam inpendens, ut de his quae ad meam notitiam pervenire potuerunt nihil omitterem neque prolixitate narrandi nova quaeque fastidientium animos offenderem; si tamen hoc ullo modo vitari potest, ut nova scriptione non offendantur qui vetera et a viris doctissimis atque disertissimis confecta monumenta fastidiunt. Et quamquam plures esse non ambigam, qui otio ac litteris dediti statum aevi praesentis non arbitrentur ita neglegendum, ut omnia penitus quae nunc fiunt velut nulla memoria digna silentio atque oblivioni tradantur, potiusque velint amore diuturnitatis inlecti aliorum praeclara facta qualibuscumque scriptis inserere quam sui nominis famam posteritatis memoriae nihil scribendo subtrahere, tamen ab huiuscemodi scriptione non existimavi temperandum, quando mihi conscius eram nullum ea veracius quam me scribere posse, quibus ipse interfui, quaeque praesens oculata, ut dicunt, fide cognovi et, utrum ab alio scriberentur necne, liquido scire non potui. Satiusque iudicavi eadem cum aliis velut communiter litteris mandata memoriae posterorum tradere quam regis excellentissimi et omnium sua aetate maximi clarissimam vitam et egregios atque moderni temporis hominibus vix imitabiles actus pati oblivionis tenebris aboleri. Suberat et alia non inrationabilis, ut opinor, causa, quae vel sola sufficere posset, ut me ad haec scribenda conpelleret, nutrimentum videlicet in me inpensum et perpetua, postquam in aula eius conversari coepi, cum ipso ac liberis eius amicitia; qua me ita sibi devinxit debitoremque tam vivo quam mortuo constituit, ut merito ingratus videri et iudicari possem, si tot beneficiorum in me conlatorum inmemor clarissima et inlustrissima hominis optime de me meriti gesta silentio praeterirem patererque vitam eius, quasi qui numquam vixerit, sine litteris ac debita laude manere; cui scribendae atque explicandae non meum ingeniolum, quod exile et parvum, immo poene nullum est, sed Tullianam par erat desudare facundiam. En tibi librum praeclarissimi et maximi viri memoriam continentem; in quo praeter illius facta non est quod admireris, nisi forte, quod homo barbarus et in Romana locutione perparum exercitatus

aliquid me decenter aut commode Latine scribere posse putaverim atque in tantam inpudentiam proruperim, ut illud Ciceronis putarem contemnendum, quod in primo Tusculanarum libro, cum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: *Mandare quemquam*, inquit, *litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec inlustrare possit nec delectatione aliqua adlicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris.* Poterat quidem haec oratoris egregii sententia me a scribendo deterrere, nisi animo praemeditatum haberem hominum iudicia potius experiri et haec scribendo ingenioli mei periculum facere quam tanti viri memoriam mihi parcendo praeterire.

c. 22. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam non excederet — nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram —, apice capitis rotundo, oculis praegrandibus ac vegetis, naso paulum mediocritatem excedenti, canitie pulchra, facie laeta et hilari. Unde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima adquirebatur; quamquam cervix obesa et brevior venterque proiectior videretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat aequalitas. Incessu firmo totaque corporis habitudine virili; voce clara quidem, sed quae minus corporis formae conveniret. Valitudine prospera, praeter quod, antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum etiam uno pede claudicaret. Et tunc quidem plura suo arbitratu quam medicorum consilio faciebat, quos poene exosus habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere et elixis adsuescere suadebant.

Exercebatur assidue equitando ac venando; quod illi gentilicium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quae in hac arte Francis possit aequari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens; cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuste valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam exstruxit ibique extremis vitae annis usque ad obitum perpetim habitavit. Et non solum filios ad balneum, verum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnumquam centum vel eo amplius homines una lavarentur.

c. 23. Vestitu patrio, id est Francico, utebatur. Ad corpus camisam lineam, et feminalibus lineis induebatur, deinde tunicam, quae limbo serico ambiebatur et tibialia; tum fasciolis crura et pedes calciamentis constringebat et ex pellibus lu-

trinis vel murinis thorace confecto umeros ac pectus hieme muniebat, sago veneto amictus et gladio semper accinctus, cuius capulus ac balteus aut aureus aut argenteus erat. Aliquoties et gemmato ense utebatur, quod tamen nonnisi in praecipuis festivitatibus vel si quando exterarum gentium legati venissent. Peregrina vero indumenta, quamvis pulcherrima, respuebat nec umquam eis indui patiebatur, excepto quod Romae semel Hadriano pontifice petente et iterum Leone successore eius supplicante longa tunica et clamide amictus, calceis quoque Romano more formatis induebatur. In festivitatibus veste auro texta et calciamentis gemmatis et fibula aurea sagum adstringente, diademate quoque ex auro et gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus eius parum a communi ac plebeio abhorrebat.

c. 24. In cibo et potu temperans, sed in potu temperantior, quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimum abhominabatur. Cibo enim non adeo abstinere poterat, ut saepe quereretur noxia corpori suo esse ieiunia. Convivabatur rarissime, et hoc praecipuis tantum festivitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero. Caena cotidiana quaternis tantum ferculis praebebatur, praeter assam, quam venatores veribus inferre solebant, qua ille libentius quam ullo alio cibo vescebatur. Inter caenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et libris sancti Augustini, praecipueque his qui de civitate Dei praetitulati sunt. Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet. Aestate post cibum meridianum pomorum aliquid sumens ac semel bibens, depositis vestibus et calciamentis, velut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinquies non solum expergescendo, sed etiam desurgendo interrumperet. Cum calciaretur et amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam, si comes palatii litem aliquam esse diceret, quae sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iussit et, velut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dixit; nec hoc tantum eo tempore, sed etiam quicquid ea die cuiuslibet officii agendum aut cuiquam ministrorum iniungendum erat expediebat.

c. 25. Erat eloquentia copiosus et exuberans poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare sit solitus, Grecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis adficiebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum conomento Alcoinum, item diaconem, de Brittania Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit, apud quem et rethoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris inpertivit. Discebat artem conputandi et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Temptabat et scribere tabulasque et codicellos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiendis adsuesceret, sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

26. Frechulf von Lisieux, Historia Mundi.

Vorreden herausg. MG. Epp. 5, 317 ff.

Domino praeceptori desiderantissimo Elisacharo Frechulfus episcoporum minimus in Christo Dei filio.

Dum torpentia quorumdam ingenia curiositas prudentium excitare soleat, ne ignaviae depressa sopore otio languentia inutiliter contabescant, sed caligine detersa somnolentiae expergescantur, ut quibus prodesse potuerint scribendo vel docendo, accurate hoc agere studeant; ne de talento male defosso terribilem Domini promulgatam audiant quandoque sententiam: tu quidem, mi dilectissime, et amore insatiabilis sophiae venerande praeceptor, post ceteros, quos stimulis instanter caritatis agitare soles, ut vigilantes fideliter ea, quae eis credita sunt, domini sui famulis tempore distribuant oportuno, tandem meam adgressus parvitatem, iussisti, ut perscrutando diligenter volumina antiquorum seu agiographorum sive etiam gentilium scriptorum, quaeque pertinent ad historiae veritatem, breviter ac lucide colligere desudarem, a conditione quidem primi hominis usque ad Christi nativitatem domini: eo scilicet modo, ut quicquid de primo saeculo, quod ante generalem fuerat cataclismum, sive de secundo, quod fuit post diluvium usque ad nativitatem Abrahae, et regis As-

syriorum Nini regnum, nostri sive gentiles senserunt scriptores, pandere diligentius curarem. Quaestiones etiam difficiles, quae per haec tempora in scriptis habentur legislatoris, enodare non neglegerem quantum attinet ad historiae veritatem. Inde autem per reges Assyriorum, Medorum atque Persarum, sive Graecorum, et usque Octaviani Cesaris monarchiam, ad quas gens Assyriorum dirivando regnum per succedentia pervenit tempora: in populo autem Dei per patriarchas, iudices, reges ac sacerdotes, iterumque reges, numerum custodire annorum cautius observarem, et ea, quae gesta in singulis mundi partibus et memoria sunt digna, adnotarem; ut quaeque immortaliter per singula frequentantur tempora, quando vel ubi fuerint, qui tunc etiam imperaverint in eminentioribus regnis vel qui populo praefuerint Dei, ostenderem. Insuper a destructione templi Hierosolimitani usque ad domini nativitatem Christi, quaeque in populo gesta sunt Iudeorum, quoniam confusa propter calamitates, quae eis acciderunt, esse videntur, ordinando summatim colligere instigasti.

Haec quidem omnia ceu picta brevi in tabula meae ostendens parvitati nullam excusationis occasionem reliquisti, sed ocius operam dare imperasti. Igitur auxilio Dei adiutus, qui facit mutos loqui, non temeritatis, sed oboedientiae gratia, hoc tam ingens parva cum cymba ignarus nauta pelagus navigare coepi. Sed si maris se inmutaverit serenitas fluctusque intumuerint, tu, qui iussisti, naufrago porrige manum. Quamvis enim ecclesiasticis alligatus ac saecularibus negotiis, lingua praepeditus, sensu obtunsus, hoc tam magnum inerúditus tyro arripui opus, quod sapientibus erat committendum, tamen, quia tuae hoc non potui negare benevolentiae, tibi examinandum mitto, et, si utile adiudicaveris fore, non magis reputabitur scribenti quam censori. Igitur nomina auctorum, ex quibus ea collegi, quae in septem libris conclusi, idcirco non ubique inserui, ut praemonuisti, quoniam in his, in quibus concordare videbantur, sensum, quem elegeram, defloravi et sub brevitate dictare studui.

27. Ermoldus Nigellus, In Honorem Hludowici caesaris.

Herausg. E. Dümmler, MG. Poet. 2.

lib. I. Princeps urbis erat Maurus, cognomine Zadun,
Urbem qui hanc validis rexerat ingeniis.
Currit hic ad muros mesta comitante corona:

'Quis sonus iste novus, o socii?' rogitat.
Reddidit ast illi contraria dicta roganti
Quidam de sociis, omina dura canens:
'Proelia non miscet Bero princeps ille Gothorum,
Quae totiens pepulit lancea nostra procul;
Sed Hludowicus adest, Caroli clarissima proles,
Ordinat ipse duces, et gerit arma manu.
Ni celerans subeat miseris nunc Cordoba nobis,
Et nos, et populus, urbsque verenda cadet.'
Ille quidem tristes submisso pectore voces
Iactat, et e turri haud procul arma videt:
'Eia agite, socii, muros servemus ab hoste;
Auxilium nobis Cordoba forte feret.
At mihi mente sedet multum quod displicet, o gens,
Turbat et adtonitis quod recitare paro.
Haec gens celsa, vides, quae nostras obsidet arces,
Fortis et armigera est, duraque sive celer.
Ecce fatebor enim vobis nunc aspera dictu,
Aut taceam, aut recitem, non placitura tamen.
Nam quemcumque suo congressa est inclita bello,
Nolens sive volens, servitio subiit.
Romuleum sibi, quod quondam hanc edidit urbem,
Subdidit imperium cum ditione sua.
Arma ferunt semper, bellis est sueta iuventus;
Baiulat haec iuvenis, hoc agit arte senex.
Namque ipsum nomen Francorum horresco recensens;
Francus habet nomen a feritate sua.
Quid iam plura loquar tristi cum pectore, cives?
Heu mihi nota satis, nec recitata placent.
Firmemus muros valido custode tenendos:
Portarum custos credulus atque sagax.'
Interea iuvenes spissa comitante caterva
Ariete claustra terunt; undique Mars resonat.
Pulsantur muri quadrato marmore septi,
Spicula densa cadunt, et feriunt miseros.
Tum Maurus Durzaz turri conclamat ab alta,
Voce cacinnosa bombica dicta canens:
'O gens dura nimis, latum diffusa per orbem,
Cur pia castra quatis, inquietasque pios?
Nonne putas subito has evertere funditus aedes,
Quas Romanum annis mille peregit opus?
Aufuge, France ferox, te aspectibus abstrahe nostris,
Nec visu facilis, nec tua iussa placent.'

Reddidit e contra non verbis dicta nefandis
Hilthiberth: arcum corripit ecce manu.
Denique clamanti contra stetit ocius hosti,
Cornea plectra tenens, et trahit, atque plicat.
Acta sagitta volans cerebro se contulit atro,
Inque os vociferum mersit harundo nocens.
Ille cadens muros invitus deserit altos,
Et moriens Francos sanguine foedat atro.
Clamores tollunt laetanti pectore Franci;
E contra Mauros fletus habet miseros.
Tum varii varios demittunt funeris Orco,
Vilhelm Habirudar, at Liuthardus Uriz.
Lancea Zabirizun, ferrum forat actile Uzacum,
Funda ferit Colizan, acer harundo Gozan....
lib. IV. Hoc tibi, Caesar, opus stolida crocitante cicuta
Porrigit Ermoldus exul, egenus, inops;
Munere quippe carens, fero carmina pauca potenti,
Divitiis liber offero namque melos.
Regia corda manu Christus qui stringit et ornat,
Vertit et in partes quas sibi cumque placet,
Qui tua praecipue virtutum flore replevit,
Atque redundare de pietate dedit,
Conferat, ut nostram propius, rex inclite, causam
Respicias, aurem accomodando, pie,
Veridicis poteris forsan cognoscere verbis
Criminis obiecti me minus esse reum.
Non tamen excuso me illius, crede, reatus
Inmunem, quo sum trusus in exilio,
Sed pietas inmensa, reis quae debita laxat,
Deprecor ut nostri sit memor exilii.
Tu quoque digna sibi coniux, pulcherrima Iudith,
Quae secum imperii culmina iure tenes,
Confer opem lapso, allisum solare misellum,
Erige labentem, carcere solve reum,
Ut vos altitonans per plurima tempora saecli
Sublimet, salvet, ditet, honorat, amet.

28. Thegan, Vita Hludowici imperatoris.

Herausg. G. H. Pertz, MG. SS. 2.

Inde revertens domnus imperator venit Aquisgrani palatium ad sedem suam. Pollebat enim de die in diem in virtutibus sacris, quod prolixum est enumerare. Erat enim statura mediocri, oculis magnis et claris, vultu lucido, naso longo et recto, labiis non nimis densis nec nimis tenuis, forti pectore, scapulis latis, brachiis fortissimis, ita ut nullus ei in arcu vel lancea sagittando aequiperare poterat: manibus longis, digitis rectis, tibiis longis et ad mensuram graciles, pedibus longis, voce virili. Lingua graeca et latina valde eruditus, sed graecam melius intellegere poterat quam loqui; latinam vero sicut naturalem aequaliter loqui poterat. Sensum vero in omnibus scripturis spiritalem et moralem, nec non et anagogen optime noverat. Poetica carmina gentilia quae in iuventute didicerat, respuit, nec legere, nec audire, nec docere voluit. Erat fortis in membris suis, agilis et impiger, tardus ad irascendum et facilis ad miserandum. Quotiens mane in cottidianis diebus ad ecclesiam perrexerat causa orationis, flexis genibus fronte tetigit pavimentum, humiliter diu orans, aliquando cum lacrimis; et omnibus moribus bonis semper ornatus. In tantum largus, ut antea nec in antiquis libris nec modernis temporibus auditum est, ut villas regias, quae erant patris sui et avi et tritavi, fidelibus suis tradidit eas in possessionem sempiternam, et praecepta constituit, et anuli sui inpressione cum consubscriptione manu propria roboravit. Fecerat enim hoc diu teporis. Erat enim in cibo potuque sobrius, et in indumentis suis moderabilis. Nunquam aureo resplenduit vestimento, nisi tantum in summis festivitatibus, sicut patres eius solebant agere. Tunc nihil in illis diebus se induit praeter camisiam et femoralia nisi cum auro texta, lembo aureo, baltheo aureo praecinctus et ense auro fulgente, ocreas aureas et clamidem cum auro textam, et coronam auream in capite gestans, et baculum aureum in manu tenens. Nunquam in risum exaltavit vocem suam, nec quando in summis festivitatibus ad laetitiam populi procedebant themilici, scurri et mimi cum coraulis et citharistis ad mensam coram eo, tunc ad mensuram ridebat populus coram eo, ille nunquam nec dentes candidos suos in risu ostendit. Cottidie ante cibum aelemosinarum largitionem pauperibus exhibuit, et ubicumque erat, xenodochia secum habebat. In mense autem Augusto, quando cervi pinguissimi sunt, venatione vacabat, usque dum aprorum tempus advenerat.

29. Translatio S. Viti.

Herausg. Ph. Jaffé, Bibliotheca rerum Germanicarum 1.

Post hoc imperator etiam venerabilem abbatem Warinum ampliavit honore eique monasterium Rasbacis cognomento

Hierusalem ad gubernandum tradidit. Tunc accessit ad venerabilem virum Hilduwinum et rogavit eum, ut memor esset promissionis suae et daret ei corpus beatissimi pueri et martyris Viti. Qualiter autem vel quo tempore hoc corpus sancti Viti in Saxoniam translatum sit et in monasterio quod Corbeia nova dicitur collocatum, intimare curavimus.

Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo sexto, indictione quarta decima, anno autem imperii sacratissimi imperatoris Ludovici vicesimo tertio, Warinus, abba monasterii Rasbacensis cognomento Hierusalem sed et Corbeiensis novi, a cuius fundatione annus vertebatur decimus quartus, consulens salutem patriae, salutem etiam gentis suae et exaltationem loci ipsius, ob causam fidei et religionis expetivit a viro religioso et venerabili abbate Hilduwino monasterii sancti Dionysii, ut de sanctis martyribus venerabilibus, quorum corpora in loco praefato humata quiescebant, aliquem ei ad confirmandam fidem gentis suae tribueret atque licentiam portandi concederet. Quam petitionem Hilduwinus abba, cum voluntate et licentia piissimi imperatoris Luduwici, consensu etiam episcopi Parisiacae urbis ceterorumque nobilium virorum in supra dicta dioecesi commorantium, libenter annuens, dedit ei, ut supra dictum est, corpus sancti Viti pueri et martyris Lucani, qui sub Diocletiani et Maximiani temporibus passus esse et a quodam viro religioso, regnante Pippino, translatus ab Italia in Franciam et in dioecesi Parisiaca locatus narratur. Cuius merito in loco, ubi positum fuerat corpus ipsius, ut supra dictum est, multas Dominus virtutes operatus est; fertur enim ab incolis loci illius, ubi beatissimus martyr in corpore quievit, quod a tempore, quo ipso in loco positum fuerat, nunquam ibi tempestates aut fulgura nocuissent.

Hoc corpus sancti Viti magna cum veneratione et testificatione religionis ab Hilduwino venerabili abbate Warino religioso abbati in ecclesia sancti Dionysii coram innumerabili multitudine populorum, tam monachorum quam canonicorum, virorum ac mulierum, post peracta die dominico missarum sollemnia decimo quarto Kalendarum Aprilium commendatum ac traditum est. Suscipiens autem corpus sancti Viti religiosus vir Warinus abba, habens secum turbam copiosam tam suorum monachorum quam aliorum virorum, cum summa veneratione et ornatu atque omni decore ecclesia exiit, tam ipse et sui quam Hilduwinus abba cum suis monachis et omnis populus qui ad diem festum convenerat, a

monasterio sancti Dionysii iter tendens monasterii Rasbacensis cognomento Hierusalem. Ubi perveniens cum suis omnibus, et multa turba populi comitante, honorifice custodivit ipso in loco corpus sancti Viti martyris usque in diem duodecimum Kalendas Iunii. Virtutes denique et sanitates, quas Dominus meritis et precibus martyris Viti, antequam ad memoratum monasterium pervenissent, operatus est, scire cupientibus insinuare curavimus.

30. Gesta abbatum Fontanellensium.

Herausg. S. Löwenfeld, MG. S-A.

c. 15. Gesta Widonis abbatis.

Wido laicus ex pago Oximense, patre Irmino nomine, matre Witbolda, camerarius Teutsindi quondam abbatis, eiusque sub cura educatus est. Hic matriculam beati Martini Turonensis in beneficii iure, Teutsindo haec eadem largiente, aliquandiu post obitum illius tenuit. Defuncto vero Austrulfo patre monasterii Fontanellensis, statim iste ad palatium ire deliberavit, plurima donaria auri argentique secum deferens, quae Pippino regi ac suis satellitibus collata, ut obtaverat, abbas constituitur, anno secundo postquam idem Pippinus regale adeptus fuerat fastigium, qui est annus dominicae incarnationis 753, indictione 6. Hoc anno papa Stephanus venit ab urbe Roma in Frantiam, et Carlomannus, frater Pippini, post illum, et filii praedicti Karolomanni attonsi sunt, et frater Pippini occisus est. Sub huius tempore, id est anno quarto regiminis sui et Pippini regis quinto, beati Petri aecclesia igne succensa est; quam ipse cum adiutorio regali in maiori eligantia reparavit sublimiorique fabrica decoravit.

Sub huius etiam temporibus plurimae res aecclesiae perierunt, quas ipse regiis hominibus ad possidendum contradidit, miserabile sibi faciens memoriale, quae usque hodie de eiusdem coenobii ditionibus permanent ablatae. Pro qua etiam occasione status regulae periclitari coepit, ob inopiam videlicet compescendarum indigentiarum, quas beatus pater Benedictus in eadem lege monachis porrigendas praecepit. Hic etiam aecclesiae ditionibus dimisit capsam evangeliorum paratam, quam ipse fabricari iusserat cum auro et argento ac gemmis, unam, calicem argenteum deauratum unum, urceos Alexandrinos cum aquamanilibus duos, cornu fabricatum unum, pulvillos sericos sub evangelium ponendos tres,

turibula argentea duo, hanappos argenteos deauratos duos, dalmaticam unam, casulas sericas quinque, tabulas fabricatas ante altaria octo, pallia tria, pallas corporalium quinque, antiphonarium Turonensis unum, libellum de miraculis sancti Andreae apostoli unum. Erat quippe fere gnarus litterarum; qui depositus est Petreoponte villa publica sub anno Domini 787 indictione 10, octavo Kalend. Octobris, qui est annus vigesimus gloriosissimi Karoli regis Francorum et quintus decimus Adriani apostolici. Sepultus autem in aecclesia beati apostoli Petri subtus arcum introitus absidae est. Rexit autem hoc coenobium annis triginta quinque et menses octo, dies tredecim.

Haec vero est summa de rebus eiusdem coenobii, quae praecepto invictissimi Karoli regis adnumerata est a Landrico abbate, Gemmetico ac Richardo comite anno vigesimo regni sui, qui est obitus praedicti patris. Primitus etenim de his quae ad usus proprios fratrumque stipendia pertinere videntur sunt mansi integri reperti numero 1326, medii 238, manoperarii 18, qui fiunt simul 1569; absi 158, molendina 39. In beneficiis vero relaxati sunt mansi integri numero 2120, medii 40, manoperarii 235, qui simul iuncti fiunt 2395, absi 156; habent ipsi molendina 24. Summa namque universitatis praesentium rerum inter integros medios atque manoperarios reperti sunt mansi 4264, exceptis his villis quas Wido laicus aut regiis hominibus contradidit aut etiam sub usufructuario aliis concessit; quod omnimodis facere non debuerat. Duos etiam annos accepit regimen coenobii Wido laicus, antequam Remigius cathedram episcopalem Ratumagensis urbis subiret. Eratque ipse praesul atque praefatus pater amicitiae iure coniuncti. Huius denique amministratione coenobii dum gloriosissimus Pippinus rex ad sepulchrum almifici patris nostri Wandregisili accessisset orationis gratia, illam inanem postulationem fratres nostri eidem suggesserunt, quae omnibus est notissima. Quamquam ipse praedium quoddam eis largiri dispositum haberet.

31. Nithard, Historiae.

Herausg. E. Müller, MG. S-A., 3. Aufl.

lib. I. Cum, ut optime, mi domine, nosti, iam poene annis duobus illatam a fratre vestro persecutionem vos vestrique haudquaquam meriti pateremini, antequam Cadhellonicam introissemus civitatem, praecepistis, ut res vestris temporibus gestas

stili officio memoriae traderem. Oportuna quidem placidaque res, fateor, fuerat praecepta, si otium tanti negotii, ut digne exsequeretur, fuisset concessum; nunc autem, si quid minus vel incultius quam oportuerit pro rerum magnitudine, huic operi inveneritis insertum, tanto facilior venia a vobis vestrisque mihi debetur, quanto me nostis eodem turbine, quo et vos, dum hoc opus peregerim, esse agitatum. Praeterire autem ea quae temporibus pii patris vestri gesta sunt, disposueram; sed facilius cuilibet legenti altercationum vestrarum veritas patebit, si quaedam, que suo in tempore contigisse novimus, summotenus praelibavero. Avi quoque insuper vestri venerandam memoriam per omnia obmittere ratum minime videtur; ac per hoc textus hinc sumat exordium.

c. 1. Karolus bone memoriae et merito Magnus imperator ab universis nationibus vocatus, hora videlicet plus minus diei tertia in senectute bona decedens, omnem Europem omni bonitate repletam reliquit, vir quippe omni sapientia et omni virtute humanum genus suo in tempore adeo praecellens, ut omnibus orbem inhabitantibus terribilis, amabilis pariterque et admirabilis videretur; ac per hoc omne imperium omnibus modis, ut cunctis manifeste claruit, honestum et utile effecit. Nam super omne, quod admirabile fateor fore, Francorum barbarorumque ferocia ac ferrea corda, quae nec Romana potentia domare valuit, hic solus moderato terrore ita repressit, ut nihil in imperio moliri, praeter quod publicae utilitati congruebat, manifeste auderent. ...

lib. II, c. 1. Audiens Lodharius patrem suum obisse, confestim nuntios ubique, presertim per totam Franciam, mittit, qui se venturum in imperium, quod olim fuerat illi datum, affirment, promittens unicuique honores a patre concessos se concedere et eosdem augere velle. Dubios quoque fidei sacramento firmari praecepit; insuper autem iussit, ut, quantotius possent, obviam illi procederent, nolentibus vero capitale supplicium ut praediceretur, indixit: ipse autem pedetemptim, quo se res verteret, antequam Alpes excederet scire volens.... Ergo cupiditate terroreque illecti undique ad illum confluunt; et hoc cernens spe viribusque magnanimis effectus, quibus artibus universum imperium liberius invadere posset, deliberare coepit. Lodhuwicum quoque quoniam itineri suo contiguum esse prospexit, ut primum in illum manum mitteret, ratum duxit, et ut eundem viribus annullaret, operam omni virtute adiecit. Interea ad Karolum in Aquitaniam legatos callide dirigens mandat se erga illum, sicuti

pater statuerat, et sicut erga filiolum ex baptismate oportebat, benivolum esse, verumtamen ut nepoti suo, filio Pippini, donec cum eo loqueretur, parceret, deprecatus est. Et his ita compositis, ad urbem Vangionum iter direxit. ...

lib. IV. Non solum me, uti praefatum est, ab hoc opere narrationis quiescere delectat, verum etiam, quo ab universa re publica totus secedam, mens variis quaerimoniis referta, assiduis meditationibus anxia versat. Sed quoniam me de rebus universis fortuna hinc inde iunxit, validisque procellis moerentem vehit, qua portum ferar immo vero poenitus ignoro. Interim autem si aliquod tempus otiosum repperero, quid oberit, si, uti iussum est, facta principum procerumque nostrorum stili officio memoriae mandare curabo? Ergo huic rerum operi quarto assistam, et, si in ceteris rebus futuris prodesse nequivero, saltem in his erroris nubeculam proprio labore posteris detergam.

c. 7. Hic quique colligat, qua dementia utilitatem publicam neglegat, privatis ac propriis voluntatibus insaniat, dum ex utrisque creatorem adeo offendat, ut etiam omnia elementa eius vesaniae contraria reddat. Quodque huiuscemodi exemplis pene adhuc omnibus notis praefacile probaturus accedam. Nam temporibus bonae recordationis Magni Karoli, qui evoluto iam pene anno XXX. decessit, quoniam hic populus unam eandemque rectam ac per hoc viam Domini publicam incedebat, pax illis atque concordia ubique erat, at nunc e — contra, quoniam quique semitam quam cupit incedit, ubique dissensiones et rixae sunt manifestae. Tunc ubique habundantia atque leticia, nunc ubique poenuria atque mesticia. Ipsa elementa tunc cuique rei congrua, nunc autem omnibus ubique contraria, uti scriptura divino munere prolata testatur: *Et pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Per idem tempus eclypsis lunae XIII. Kal. Aprilis contigit. Nix insuper multa eadem nocte cecidit, meroremque omnibus, uti praefatum est, iusto Dei iuditio incussit. Id propterea inquam, quia hinc inde ubique rapinae et omnigena mala sese inserebant, illinc aeris intemperies spem omnium bonorum eripiebat.

32. Annales Fuldenses.

Herausg. Fr. Kurze, MG. S-A.

a) Pars I.

a. DCCCXXVIII. Reliquiae sancti Marcellini martyris post pascha ad Aquis palatium delatae et per eas ibi multa signa facta sunt.

Hlotharius cum exercitu ad marcam Hispanicam missus est, similiter et Hludowicus iuvenis contra Bulgaros. Foedus cum Nordmannis factum per neglegentiam ruptum et castra nostrorum a Nordmannis direpta sunt.

b) Pars II.

a. DCCCLVIII. Kalendis Ianuariis terrae motus magnus factus est per civitates et regiones diversas, maximus tamen apud Mogontiacum, ubi maceriae antiquae scissae sunt et aecclesia sancti Albani martyris ita concussa est, ut murus de fastigio cadens oratiorum sancti Michaelis ad occidentem basilicae bicameratum cum tecto et laquearibus ruina sua confringens terrae coaequaret.

Mense autem Februario rex cum quibusdam consiliariis suis in Forahheim colloquium habuit; inde condicto placito et designatis ad hoc specialiter comitibus in villa Alamanniae, quae vocatur Ulma, Notingum episcopum et Eburhardum comitem, missos nepotis sui Hludowici, suscepit et audivit; post mediam vero quadragesimam venit in Franconofurt et ibi pascha celebravit. Interea missi, quos ad Hlutharium nepotem suum directos habuit, veniunt eumque iuxta condictum in Confluente castello regi occursurum esse nuntiant. Rege autem promissionibus eius credente et ante dies letaniarum ad condictum diem et locum veniente Hlutharius promissa mentitus neque ipse venit neque de suis aliquem mittere voluit; foedus enim cum Karlo contra regem iniit, quod uterque eorum iuramento firmavit. Qui, cum se vidisset inlusum esse, reversus in Franconofort, cum multa de utilitate regni cum suis tractaret atque disponeret, tum etiam decrevit tres exercitus in diversos regni sui terminos esse mittendos: unum quidem per Karlmannum filium suum seniorem in Sclavos Margenses contra Rastizen, alterum vero per Hludowicum filium suum minorem in Obodritos et Linones, tercium autem per Thachulfum in Sorabos dicto oboedire nolentes, ut sedatis extrinsecus adversariorum tumultibus facilius intrinsecus regni gubernacula disponeret.

Mense autem Iulio collectis et ordinatis exercitibus ireque profectis repente die media subiit regem curarum maxima moles. Legati enim ab occidente venerunt Adalhartus abbas et Oto comes postulantes eum, ut populo periclitanti et in angustia posito praesentia sua subveniret; quod nisi celeriter fieret et ex parte eius spe liberationis privarentur, a paganis cum periculo christianitatis quaerere deberent defensionem,

quam a legitimis et orthodoxis dominis invenire non possent. Tyrannidem enim Karli se diutius ferre non posse testati sunt, quia, quod ex eis pagani extrinsecus nemine resistente aut scutum opponente praedando, captivando, occidendo atque vendendo reliquissent, ille intrinsecus subdole saeviendo disperderet; nec quemquam esse in omni populo, qui iam promissionibus aut iuramentis eius fidem adhibere praesumeret, cunctis de bonitate illius in desperationem cadentibus. Quibus auditis rex graviter conturbatus est; duplici enim premebatur angustia, quoniam, si populi votis adquiesceret, contra fratrem, quod impium esset, agere deberet; si autem fratri parceret, a periclitantis populi liberatione, quod aeque impium esset, cessare deberet. Ad hoc accessit etiam non modicus angustiarum cumulus, vulgi videlicet aestimatio suspicantis totum, quod actum fuerit in huiusmodi negotio, non voto fieri populo consulentis, sed sola intentione regnum dilatare cupientis; quod longe aliter esse, quam se vulgi fert opinio, cuncti consiliorum regis conscii veraci sermone testantur. In tali igitur curarum molestia positus tandem consilio sapientium adquiescens, simul et conscientiae suae puritate praeditus, maluit multorum utilitatibus consulere quam unius hominis pertinaciae consentire; precibusque legatorum favens votis populi praesentiam eius desiderantis cum Dei adiutorio se adfuturum fore promisit.

Mediante autem mense Augusto Wangioni collecto comitatu per Alisatiam profectus venit in Galliam ad villam regiam in regno Karli, quae vocatur Ponticona; ubi occurrerunt ei fere omnes primates partium illarum, exceptis eis, quos tunc Karlus secum in praesidio habuit, pugnans contra Nordmannos super Ligurem fluvium. Qui, ut audivit Hludowicum esse infra terminos regni sui, dimissa obsidione cum exercitu occurrit ei in loco, qui vocatur Briacus; visaque multitudine orientalium simul et eorum, qui ex suis contra tyrannidem eius coniuraverant, cum se virtute cerneret imparem nec posse sine grandi periculo suorum cum fratris copiis in acie congredi, disposito tamen et quasi ad pugnandum milite ordinato ipse quidem cum paucis latenter abscessit, exercitus vero in loco certaminis derelictus cognito ducis abscessu ad Hludowicum transivit. Ille vero sedato impetu populi Karlum persequi cupientis ad disponenda regni negotia quasi libera utens potestate diligentiam curamque convertit. Et primum quidem nimis incauta ductus securitate omne robur totius exercitus, quem ab oriente secum adduxerat, remisit in patriam, frustra in desertores et proprii domini proditores spei suae fiduciam ponens. Quorum etiam consilio ibi decrevit hiemare, ignarus per omnia imminentis sibi periculi, quod ei parabatur ex parte Karli, cuius animum ad ultionem iniuriarum suarum erexerant filii Cuonrati comitis, Hludowicum securum et paucos esse, qui cum eo ex suis remanserint, indicantes; quos ille quidem quasi sibi fideles ad explorandos sibique renuntiandos actus Karli transmiserat; illi vero fidem mentiti et Karlo coniuncti, quomodo Hludowicus ex inproviso cum multitudine exercitus obrueretur, tota intentione moliebantur. Interea nuntiatum est ei in oriente rempublicam Sorabici limitis esse turbatam, eo quod Sorabi duce eius Zistiboro nomine sibi fidelissimo insidiose perempto defectionem meditarentur. Ac per hoc ille quidem ad conprimendam seditionem exortam in regnum suum, quanta potuit celeritate, regressus est. Karlus vero post discessum eius sedem regni sui nullo adversante sine difficultate recepit.

c) Pars III.

a. DCCCLXXXVII. Hiems aspera et solito prolixior; boum quoque et ovium pestilentia supra modum grassata est in Francia, ita ut pene nulla eiusdem generis animalia relinquerentur.

Imperator cum suis colloquium habuit in Weibilingon; qui priscis temporibus, id est ex quo rex in Alamannia constitutus est, quendam de suis ex infimo genere natum nomine Liutwartum supra omnes, qui erant in regno suo, exaltavit, ita ut Aman, cuius mentio facta est in libro Hester, et nomine et dignitate praecelleret. Ille enim post regem Assuerum erat secundus, iste vero prior imperatori et plus quam imperator ab omnibus honorabatur et timebatur. Nam nobilissimorum filias in Alamannia et Italia nullo contradicente rapuit suisque propinquis nuptum dedit. Qui etiam ad tantam devolutus est stultitiam, immo vesaniam, ut monasterium puellarum in Brixia civitate situm invaderet et per quosdam amicos suos filiam Unruochi comitis propinquam imperatoris vi raperet suoque nepoti in coniugium daret. Sanctimoniales vero eiusdem loci ad preces conversae orabant Dominum, ut contumeliam loco sancto illatam vindicaret; quarum preces ilico exauditae sunt. Nam is, qui puellam coniugii more sibi sociare disposuit, eadem nocte Dei iudicio interiit, et puella mansit intacta. Quod cuidam sanctimoniali nomine ...

e supradicto monasterio revelatum est, et illa caeteris indicavit.

Cum autem memoratus Liutwart talia in regno imperatoris per plures annos actitaret, tandem cenodoxia inflatus et philargiria caecatus fidem catholicam pervertere et redemptori nostro detrahere laborabat, dicens eum unum esse unitate substantiae, non personae, cum sancta aecclesia credat et confiteatur eum in duabus substantiis unam habere personam. Quod quicumque negaverit, profecto blasphemat eum, qui venit quaerere et salvare, quod perierat: nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset homo verus, non praeberet exemplum. Sed idem rex regum hoc anno concitavit animos imperatoris in blasphemum; qui habita cum suis conlocutione in loco, qui vocatur Kirihheim, eum deposuit, ne esset archicappellanus, multisque beneficiis ab eo sublatis ut hereticum et omnibus odiosum cum dedecore de palatio expulit.

At ille in Baioariam ad Arnolfum se contulit et cum eo machinari studuit, qualiter imperatorem regno privaret; quod et factum est. Nam cum idem imperator in villa Tribure consedisset, suorum undique opperiens adventum, Arnolfus cum manu valida Noricorum et Sclavorum supervenit et ei molestus efficitur. Nam omnes optimates Francorum, qui contra imperatorem conspiraverant, ad se venientes in suum suscepit dominium; venire nolentes beneficiis privavit nichilque imperatori nisi vilissimas ad serviendum reliquit personas. Cui imperator lignum sanctae crucis, in quo prius ei fidem se servaturum iuraverat, per Liutbertum archiepiscopum destinavit, ut sacramentorum suorum non immemor tam ferociter et barbare contra eum non faceret. Quo viso lacrimas fudisse perhibetur; tamen disposito, prout voluit, regno in Baioariam se recepit; imperator vero cum paucis, qui secum erant, in Alamanniam repedavit.

Nordmanni audita Francorum dissensione et imperatoris eorum abiectione plurima loca, quae prius minime tetigerant, vastaverunt. Ad Remensem quoque urbem venisse referuntur, sed Deus per merita sancti Remigii et monasterium extra civitatem positum et ipsam civitatem nebula densissima per trium dierum spatia circumdedit, ita ut neutrum invenire nec saltem videre potuissent. Unde mente consternati pariterque confusi discesserunt.

33. Annales Bertiniani, Pars III, auct. Hincmaro.

Herausg. G. Waitz, MG. S-A.

861. Galindo cognomento Prudentius Trecassinae civitatis episcopus, natione Hispanus, adprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco praedestinatiano restiterat, post, felle commotus, contra quosdam episcopos secum heretico resistentes ipsius heresis defensor acerrimus, indeque non modica inter se diversa et fidei adversa scriptitans, moritur; sicque, licet diutino langore fatigaretur, ut vivendi ita et scribendi finem fecit.

Carlomannus, Hlodowici regis Germaniae filius, cum Resticio Winidorum regulo foederatur, a patre deficit et Resticii auxilio magnam sibi partem usque ad Hin fluvium paterni regni praesumit. Hlodowicus socerum Karlomanni, filii sui, Arnustum honoribus privat et nepotes ipsius a regno suo expellit. Qui cum Adalardo, Yrmintrudis reginae avunculo, suo autem propinquo, quem Hlotharius patrui sui Hludowici factione insequebatur, Karolum adeunt. A quo benigne suscipiuntur et honoribus consolantur. Sed et pene omnes qui nuper a Karolo ad Hludowicum defecerant ad Karolum revertuntur et ab eo familiaritate et honoribus redonantur.

Dani qui pridem Morinum civitatem incenderant de Anglis revertentes, duce Welando cum ducentis et eo amplius navibus per Sequanam ascendunt et castellum in insula quae Oscellus dicitur a Normannis constructum et eosdem Normannos obsident. A quorum obsidentium videlicet locarium quinque milia libras argenti cum animalium atque annonae summa non modica de regno suo, ne depraedaretur, exigi Karolus praecepit. Et Sequanam transiens, Meidunum super Ligerim adit, Rodbertum cum placitis honoribus recipit. Qua occasione Guntfridus et Gozfridus, quorum consilio Karolus praefatum Rodbertum receperat, cum suis complicibus gentilitia mobilitate et inolita consuetudine a Karolo ad Salomonem Brittonum ducem deficiunt. Interea Danorum pars altera cum sexaginta navibus per Sequanam in fluvium Tellas ascendunt indeque ad obsidentes castellum perveniunt et eorum societate iunguntur. Obsessi autem famis inedia et miseriae omnis squalore compulsi, sex milia libras inter aurum et argentum obsidentibus donant eisque sociantur et sic per Sequanam usque ad mare descendunt. Quos imminens hiemps ingredi mare prohibuit; unde se per singulos portus ab ipso loco usque Parisius secundum suas sodalitates dividunt. We-

landus autem per Sequanam usque ad castrum Milidunum cum sociis suis ascendit. Castellani vero cum Welandi filio Fossatis monasterio occupant.

Hincmarus Durocorthori Remorum archiepiscopus synodo conprovinciali apud martyrium sanctorum Crispini et Crispiniani secus civitatem Suessionis Rothadum ipsius urbis episcopum, regulis eclesiasticis oboedire nolentem, episcopali privat communione secundum decreta canonum, donec oboediat.

Karolus, dimisso filio suo Hludowico sub Adalardi, Yrmintrudis reginae avunculi, baiulatione ad custodiam regni contra Normannos, a quibusdam invitatus quasi regnum Provinciae adepturus, quoniam Karolus, Hlotharii quondam imperatoris filius, inutilis atque inconveniens regio honori et nomini ferebatur, cum uxore Burgundiam usque ad civitatem Matescensium peragrat. Ubi rebus parum prospere gestis, et depraedationibus plurimis populo terrae ingestis, Pontigonem palatium redit. Ibique missaticum ex parte Hludowici, fratris sui, et Hlotharii, nepotis sui, ab Adventio Mettensium civitatis episcopo et Leutardo comite delatum audit eosque absolvit et diem natalis dominici festive, ut moris est, celebrat.

34. Rimbert, Vita Anskarii.

Herausg. G. Waitz, MG. S-A.

c. 9. Interim vero contigit, legatos Sueonum ad memoratum principem venisse Hludowicum. Qui inter alia legationis suae mandata clementissimo caesari innotuerunt: esse multos in gente sua, qui christianae religionis cultum suscipere desiderarent, regis quoque sui animum ad hoc satis benivolum, ut ibi sacerdotes Dei esse permitteret; tantum eius munificentia mererentur, ut eis praedicatores destinaret idoneos. Quod religiosissimus audiens imperator, plurimum exhilaratus, denuo quaerere coepit, quos in illas partes dirigeret, qui probarent, utrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti missi illi intimaverant, et cultum christianae religionis illis tradere inciperent. Unde factum est, ut iterum cum memorato abbate vestro serenissimus imperator tractare coeperit, si quem forte de suis monachis invenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet, aut certe qui cum Herioldo moraretur, et is qui cum erat servus Dei Anskarius illam susciperet legationem. Qua de re contigit, ut regio iussu abhinc ad palatium vocaretur; cuique denuntiatum est, ne se raderet, antequam ad praesentiam imperatoris veniret. Vir autem Dei ad quid vocaretur omnino praenoscens, coepit toto cordis fervore in amore Dei exardescere et omne gaudium existimare, si lucrandis sibi animabus liceret insistere. Si quid quoque in huiusmodi profectione contrarietatis sive adversitatis ei potuisset accidere, proposuit animo patienter pro Christo tolerare; nihilque dubietatis in corde pro tali gerebat opere, quoniam visionis divinae, quam ante praeviderat, consolabatur munere. Siquidem tempore supra dicto, cum apud vos moraretur et iam duabus visionibus caelitus inspiratus haberetur, quadam nocte visum est ei, quod devenisset in quandam domum, ubi plures ex ordine praedicatorum ad praedicandi officium praeparati astabant. Coram quibus subito in excessu mentis raptus, videbat immensi luminis claritatem super solis radium de caelo emissam se circumfulsisse. Cumque miraretur, quid hoc esset, vox quoque pene similis illi, quam in prima visione se audisse narraverat, facta est ad eum, dicens: 'Dimissum est peccatum tuum'. Cui ille, divino, ut credimus, spiritu afflatus, respondit, dicens: 'Domine, quid vis ut faciam?' Et iterum vox sonuit, dicens: 'Vade et annuntia gentibus verbum Dei'. Hanc itaque visionem servus Dei pertractans animo, laetus gaudebat in Domino, videns iam ex parte completum quod sibi imperatum fuerat, et ad maiorem laboris sui cumulum etiam Sueonibus verbum Dei annunciare cupiens. Cum itaque ante praesentiam caesaris adductus interrogatus ab eo fuisset, utrum legationem illam suscipere vellet, libera voce respondit, se paratum ad omnia, quaecumque illi pro Christi nomine sua auctoritate decrevisset iniungere.

35. Annales Xantenses.

Herausg. B. v. Simson, MG. S-A.

Anno DCCCLXVIIII. Mense Februario, *tenebrosis aquis in nubibus aeris*, tonitrua audita sunt, et XV. Kal. Martii, id est nocte sancta septuagesimae, stella cometes visa est ab aquilone et occidente, cui statim nimia tempestas ventorum et immensa inundatio aquarum est subsecuta, in qua multi improvidi interierunt. Et postea aestivo tempore fames acerrima in multis provintiis subsequitur, maxime in Burgundia et Gallia, in quibus magna multitudo hominum acerbam sustinuit mortem, ita ut homines hominum corpora comedisse feruntur. Sed et canum carnibus aliqui vesci dicuntur. Eo tem-

pore, ut propheta ait: *propter peccata terrae multi principes eius*, quattuor reges regnaverunt in regno quondam Karoli Magni: Ludewicus filius imperatoris Ludewici in oriente et Sclavis, Bevaria, Alamannia et Coria, Saxonia, Suevis, Thoringia et orientalibus Francis cum pago Wormaciensi atque Namnetis, qui sapientior et iustior caeteris. Karolus frater eius Gallis, Aquitaneis atque Wasconiis praeerat, sepissime paganorum infestationem sustinens semperque eis censum opponens et numquam in bello victor existens. Ludewicus filius Lotharii imperatoris senior Italiam et Beneventaniam consedit, qui multas iniurias Nicolao papae intulit et non Mauros de Beneventania expulit. Lotharius frater eius, citus et levis, relicta legitima coniuge contra sanctorum canones et Nicolai papae iussum inlicite concubina usus est. Ipse enim Ripuariam, Burgundiam atque Provintiam possedit. Iterum atque iterum Guntarius et Thietgaudus Romam petierunt, succedente Adriano in locum regiminis, si aliquomodo possent adipisci gradum pristinum, sed non potuerunt, quia *durum est contra stimulum calcitrare*. Nam in ipsa peregrinatione Theotgaudus magna febre correptus vita pariter cum sacerdotio caruit. Ecclesia vero illius a chorepiscopis regebatur. Alter quippe eadem molestia preventus vix convaluit. Et cum vidisset, quod nullo modo repedare posset in gradum pristinum, consumpto aerario fraude adquisito, defunctis pene omnibus suis sequacibus, pauper cum paucis in incerto vagus girabat per terras. Sicque duo metropolitani ob consensum adulterii nefandi regis rite *obligati sunt et ceciderunt*. Sponsa vero Guntharii, quae quondam post Romam eligantissima habebatur, quasi vidua destituta viro, scissa veste, fuscata pelle, deiectis crinibus, nudis pedibus absque pastore *sedit in cinere*. Parvuli quoque illius hinc inde a *lupis rapacibus* devorabantur per loca, non habentes patrem. Sacerdotes eius acris verberibus virgisque ceduntur, non habentes patronum. Nobiles eius gladio ceciderunt, et illa dolens ac gemens, *plorans ploravit* per diem et noctem, dicens: '*Angustiae mihi undique, et quid eligam, ignoro*, quia *tribulationes cordis mei multiplicatae sunt*'. Ad viatores quoque conversa aiebat: '*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis sicut dolor meus*. Ecce vivente viro vidua vocor. Parvuli mei delicati suffocati sunt. *Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est* undique *inimicus. Non est qui consoletur* me nisi tu Deus solus'.

36. Annales Vedastini.

Herausg. B. v. Simson, MG. S-A.

Anno Domini DCCCLXXXI. Nortmanni vero cum infinita multitudine monasterium nostrum ingressi VII. Kal. Ianuarii ipsum monasterium et civitatem, exceptis aecclesiis, et vicum monasterii et omnes villas in circuitu V. Kal. Ianuarii, interfectis omnibus quos invenire poterant, igne cremaverunt omnemque terram usque Sumnam pervagati sunt, capta praeda infinita hominum, pecudum et iumentorum. Indeque eisdem V. Kal. Ianuarii Camaracum ingressi incendiis et occisionibus tam civitatem quam monasterium sancti Gaugerici vastantes atque cum infinita praeda ad castra sua reversi omnia monasteria supra Hisscar fluvium devastant, fugatis ac interfectis habitatoribus. Et circa purificationem sanctae Mariae iterum moventes, per Taruennam iter arripientes usque Centula monasterium sancti Richarii et sancti Walerici, omnia loca circa mare, monasteria et vicos indeque Ambianis civitatem atque Corbeiam monasterium petentes multisque honusti praedis, sani et sine inpedimento ad propria repedavere castra. Iterum circa sollempnitatem sancti Petri Atrebatis venerunt omnesque quos ibi repperere interfecere et circuita omni terra, ferro et igne cuncta vastantes, sani revertuntur ad castra.

Interim Hludowicus rex gravi dolore contristatus, videns regnum deleri, convocato exercitu praeparat se ad proelium. At Nortmanni omnia prospera agentes cum magno exercitu fluvium Sumnam mense Iulio transeunt, cuncta vastantes more solito usque prope civitatem Belvagorum. Hludowicus vero rex cum exercitu transiens Hisam fluvium Latverum tendere coepit, quo credebat Nortmannos redire. Missis itaque exploratoribus, nuntiant redire eos honustos a praeda. Contra quos rex ire perrexit obviavitque eos in pago Witmau, in villa quae dicebatur Sathulcurtis, et commissum est proelium. Moxque Nortmanni fugam ineunt atque dictam villam deveniunt; quos rex insecutus est gloriosissimeque de eis triumphavit. Et patrata victoria ex parte coeperunt gloriari suis hoc actum viribus et non dederunt gloriam Deo. Paucique Nortmanni ex dicta villa egressi, omnem exercitum vertit in fugam, pluresque ex eis, videlicet usque ad centum homines, interfecerunt; et nisi rex citius equo descendens locum resistendi et audaciam suis donaret, omnes turpiter ex eodem loco fugiendo abirent. Hac vero patrata victoria, quia multos

contigit ibi ruere Nortmannos, rex ovans repedavit trans Hisam, perpauci vero Dani, qui evasere, interitum suorum nuntiavere in castra, indeque Nortmanni Hludowicum regem adolescentem timere coeperunt. Rex quoque adunato exercitu in pago Camaracensium venit castrumque sibi statuit in loco qui dicitur Strum ad debellationem Danorum. Nortmanni hoc cognoscentes Gandavum rediere suisque reparatis navibus terra marique iter facientes Mosam ingressi sunt et in Haslao sibi sedem firmant ad hiemandum. ...

37. Das Ludwigslied.

Rithmus teutonicus de piae memoriae Hluduico rege filio Hluduici aeque regis.

Herausg. W. Braune, Althochd. Lesebuch, in der 6. Aufl. S. 150f.).

Einan kuning uueiz ih, Heizsit her Hluduîg,
Ther gerno gode thionôt: Ih uueiz her imos lônôt.
Kind uuarth her faterlôs. Thes uuarth imo sâr buoz:
Holôda inan truhtîn, Magaczogo uuarth her sîn.
Gab her imo dugidi, Frônisc githigini,
Stual hier in Vrankôn. Sô brûche her es lango!
Thaz gideilder thanne Sâr mit Karlemanne,
Bruoder sînemo, Thia czala uuuniôno.
Sô thaz uuarth al gendiôt, Korôn uuolda sîn god,
Ob her arbeidi Sô iung tholôn mahti.
Lietz her heidine man Obar sêo lîdan,
Thiot Vrancôno Manôn sundiôno.
Sume sâr verlorane Uuurdun sum erkorane:
Haranskara tholôta Ther êr misselebêta.
Ther ther thanne thiob uuas, Ind er thanana ginas,
Nam sîna vaston: Sîdh uuarth her guot man.
Sum uuas luginâri, Sum skâchâri,
Sum fol lôses, Ind er gibuozta sih thes.
Kuning uuas ervirrit, Thaz rîchi al girrit,
Uuas erbolgan Krist: Leidhôr, thes ingald iz.
Thoh erbarmêdes got, Uuisser alla thia nôt:
Hiez her Hluduîgan Tharôt sâr rîtan:
'Hluduîg, kuning mîn, Hilph mînan liutin!
Heigun sa Northman Harto biduuungan.'
Thanne sprah Hluduîg: 'Hêrro, sô duon ih,

21 Uuuisser *hs.*

Dôt ni rette mir iz, Al thaz thû gibiudist.'
Thô nam her godes urlub, Huob her gundfanon ûf,
Reit her thara in Vrankôn Ingagan Northmannon.
Gode thancôdun Thê sîn beidôdun,
Quâdhun al 'frô mîn, Sô lango beidôn uuir thîn.'
Thanne sprah lûto Hluduîg ther guoto:
'Trôstet hiu, gisellion, Mîne nôtstallon.
Hera santa mih god Ioh mir selbo gibôd,
Ob hiu rât thûhti, Thaz ih hier gevuhti,
Mih selbon ni sparôti, Uncih hiu gineriti.
Nû uuillih thaz mir volgôn Alle godes holdon.
Giskerit ist thiu hieruuist Sô langô sô uuili Krist:
Uuili her unsa hinavarth, Thero habêt her giuualt.
Sô uuer sô hier in ellian Giduot godes uuillion,
Quimit hê gisund ûz, Ih gilônôn imoz;
Bilîbit her thâr inne, Sînemo kunnie.'
Thô nam er skild indi sper, Ellianlîcho reit her:
Uuolder uuâr errahchôn Sînan uuidarsahchôn,
Thô ni uuas iz burolang, Fand her thia Northman:
Gode lob sagêda, Her sihit thes her gerêda.
Ther kuning reit kuono, Sang lioth frâno,
Ioh alle saman sungun 'Kyrrieleison'.
Sang uuas gisungan, Uuîg uuas bigunnan,
Bluot skein in uuangôn: Spilôdun ther Vrankon.
Thâr vaht thegeno gelîh, Nichein sôsô Hluduîg:
Snel indi kuoni, Thaz uuas imo gekunni.
Suman thuruhskluog her, Suman thuruhstah her.
Her skancta cehanton Sînan fîan*ton*
Bitteres lîdes. Sô uuê hin hio thes lîbes!
Gilobôt sî thiu godes kraft: Hluduîg uuarth sigihaft;
Ioh allên heiligôn thanc! Sîn uuarth ther sigikamf.
Uuolar abur Hluduîg, Kuning uuîgsâlîg!
Sô garo sôser hio uuas, Sô uuâr sôses thurft uuas,
Gihalde inan truhtîn Bî sînan êrgrehtîn.

38. Notker der Stammler (der Mönch von St. Gallen), Gesta Karoli.

Herausg. Ph. Jaffé, Bibliotheca rerum Germanicarum 4.

lib. II, c. 17. Post mortem victoriosissimi Pippini cum iterato Longobardi Romam iam inquietarent, invictus Karolus,

43 Sina *hs.* 57 ... uolar *hs.* – kuninge ui .. salig *hs.*, kuning êuuîn sâlîg *Roediger; vgl. GGA.* 1893, 534.

quamvis in cisalpinis partibus nimium occupatus esset, iter in Italiam haut segniter arripuit. Et incruento bello sive spontanea deditione humiliatos, in servitium accepit Longobardos; et firmitatis gratia, ne unquam a regno Francorum discederent vel terminis sancti Petri aliquam irrogarent iniuriam, filiam Desiderii Longobardorum principis duxit uxorem. Qua non post multum temporis, quia esset clinica et ad propagandam prolem inhabilis, iudicio sanctissimorum sacerdotum relicta velut mortua, iratus pater, iuramento sibi provintiales astringens ipseque in muris Ticinensibus se concludens, invincibili Karolo rebellare disposuit. Quod ille pro certo comperiens, illuc iter acceleravit. Contigit autem ante aliquot annos, quendam de primis principibus nomine Otkerum offensam terribilissimi imperatoris incurrere et ob id ad eundem Desiderium confugium facere. Audito autem iam proximo adventu metuendi Karoli, ascenderunt in turrim eminentissimam, unde longe lateque prospicere venientem potuissent. Apparentibus vero impedimentis, quae expeditiora Darii vel Iulii fuissent expeditionibus, dixit Desiderius ad Otkerum: *Estne Karolus in tanto exercitu?* At ille respondit: *Non adhuc.* Videns vero exercitum popularium de latissimo imperio congregatum, diffinite pronuntiavit ad Otkerum: *Vere in his copiis Karolus exultat.* Respondit Otkerus: *Set non adhuc neque adhuc.* Tunc aestuare coepit et dicere: *Quid faciemus, si plures cum eo venerint?* Dixit Otkerus: *Videbis, qualis ille veniat. De nobis autem nescio quid fiat.* Et ecce ista sermocinantibus apparuit scola, vacationis semper ignara. Quam videns Desiderius stupefactus: *Iste est* inquit *Karolus.* Et Otkerus: *Non* infit *adhuc neque adhuc.* Post hanc cernuntur episcopi abbatesque et clerici capellani cum comitibus suis. Quibus aspectis, haec vix egre iam lucis inimicus mortisque desiderius singultando blateravit: *Descendamus et abscondamur in terra a facie furoris adversarii tam inmanis.* Ad quae retulit extimescens Otkerus, rerum et apparatus incomparabilis Karoli quondam expertus et in meliori tempore assuetissimus: *Quando videris* inquiens *segetem campis inhorrescere ferream Padumque et Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros civitatis inundantes, tunc est spes Karoli venientis.* His necdum finitis, primum ad occasum circio vel borea coepit apparere quasi nubes tenebrosa, quae diem clarissimam horrentes convertit in umbras. Sed propiante paululum imperatore, ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse

ferreus Karolus, ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferrea torace ferreum pectus humerosque Platonicos tutatus; hasta ferrea in altum subrecta sinistram implevit, nam dextra ad invictum calibem semper erat extenta; coxarum exteriora, quae propter faciliorem ascensum in aliis solent lorica nudari, in eo ferreis ambiebantur bratteolis. De ocreis quid dicam? Quae et cuncto exercitui solebant ferreae semper esse usui. In clipeo nihil apparuit nisi ferrum. Caballus quoque illius animo et colore ferrum renitebat. Quem habitum cuncti praecedentes, universi ex lateribus ambientes omnesque sequentes et totus in commune apparatus iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos et plateas replebat; solis radii reverberabantur acie ferri; rigido ferro honor a rigidiori deferebatur populo. Splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. *O ferrum, heu ferrum!* clamor confusus insonuit civium. ...

39. Abbo, De Bellis Parisiacae Urbis.

Herausg. P. v. Winterfeld, MG. Poet. Car. 4.

Incipit liber primus Bellorum Parisiacae Urbis.

Dic alacris salvata deo, Lutecia, summo.
Sic dudum vocitata; geris modo nomen ab urbe
Isia, Danaum latae media regionis,
Quae portu fulget cunctis venerabiliori;
Hanc Argiva sitis celebrat peravara gazarum.
Quod nothum species metaplasmi modo nomen
O collega tibi Lutecia pingit honeste,
Nomine Parisiusque novo taxaris ab orbe,
Isiae quasi *par* (merito pollet tibi consors);
Nam medio Sequanae recubans, culti quoque regni
Francigenum, temet statuis per celsa canendo
'Sum polis, ut regina micans omnes super urbes'.
Quae statione nites cunctis venerabiliori.
Quisque cupiscit opes Francorum, te veneratur,
Insula te gaudet, fluvius sua fert tibi giro
Brachia conplexo muros mulcentia circum;
Dextra tui pontes habitant tentoria limfae
Levaque claudentes; horum hinc inde tutrices
Cis urbem speculare falas, citra quoque flumen.
Dic igitur, prepulchra polis: quod Danea munus
Libavit tibimet soboles Plutonis amica,

Tempore quo presul domini et dulcissimus heros
Gozlinus temet pastorque benignus alebat?
'Hec' inquit miror, narrare potest aliquisne.
Nonne tuis idem vidisti oculis? Refer ergo!'
Vidi equidem, iussisque tuis parebo libenter....

40. Regino von Prüm, Chronicon.

Herausg. Fr. Kurze, MG. S-A.

Incipit praefatio operis subsequentis. Excellentissimi ingenii et totius philosophiae studiis multipliciter insignito domno Adalberoni episcopo Regino, quamvis omnium christicolarum extremus, vestrae tamen sublimitati in omnibus devotissimus, fidelia mandat orationum obsequia. Chronicam, quam de nostris et antecessorum nostrorum temporibus litteris comprehendi, vestrae singulari prudentiae examinandam transmisi, ut vestro perspicaci iudicio aut approbetur aut condempnetur. Quam in duobus libellis distinxi, exordium capiens a primo incarnationis dominicae anno et consummans coeptum opus usque in presentem annum, qui computatur a prefata incarnatione Domini nongentesimus octavus. Indignum etenim mihi visum est, ut, cum Hebreorum, Grecorum et Romanorum aliarumque gentium historiographi res in diebus suis gestas scriptis usque ad nostram notitiam transmiserint, de nostris quamquam longe inferioribus temporibus ita perpetuum silentium sit, ut quasi in diebus nostris aut hominum actio cessaverit aut fortassis nil dignum, quod memoriae fuerit commendandum, egerint aut, si res dignae memoratu gestae sunt, nullus ad haec litteris mandanda idoneus inventus fuerit, notariis per incuriam otio torpentibus. Hac itaque de causa non passus sum tempora patrum nostrorum et nostra per omnia intacta preterire, sed ex multis pauca notare curavi et, ubi ad presentia tempora ventum est, stilo temperavi propter quorundam offensam, qui adhuc sunt superstites, latius haec posteris exequenda relinquens. Accipite ergo hoc parvum munusculum ea benignitate, qua devotione missum est a mea parvitate. In calce autem obsecro lectorem, ut, si illi haec dicta nostra, qualiacumque sint, placuerint et ea sibi describi voluerit, hanc prefatiunculam nullatenus omittat, quin eam in prima fronte libelli annotari faciat. Gloriam celsitudinis vestrae multorum utilitatibus profuturam superna providentia diu incolumem conservare dignetur.

817. ... Haec, quae supra expressa sunt, in quodam libello repperi plebeio et rusticano sermone composita; quae ex parte ad latinam regulam correxi, quaedam etiam addidi, quae ex narratione seniorum audivi. Cetera, quae secuntur, meae parvitatis studio descripta sunt, prout in chronicorum libris adnotata inveni aut ex relatione patrum auditu percipere potui. Et de Ludowici quidem imperatoris temporibus perpauca litteris comprehendi, quia nec scripta repperi, nec a senioribus, quae digna essent memoriae commendanda, audivi; de Hlotharii vero imperatoris et fratrum eius regum Francorum gestis plura descripsi. Ubi vero ad nostra tempora ventum est, latius narrationis sermonem protraxi: 'aliter enim', ut Ieronimus ait, 'narrantur visa, aliter audita; quae melius scimus, melius et proferimus'.

868. Anno dominicae incarnationis DCCCLXVIII. Nicholaus, sanctissimus et perbeatissimus papa post multos pro Christo labores et post multa pro sanctae ecclesiae inviolabili statu certamina migravit ad caelestia regna, recepturus pro administrata fideliter sibi credita dispensatione a largissimo Domino inmarcescibilem gloriae coronam: de cuius Deo placitis actibus plura poterant dici relatu digna, nisi brevitati studentes causas rerum magis summatim notare quam explanare proposuissemus. Denique post beatum Gregorium usque in presens nullus presul in Romana urbe pontificali honore sublimatus illi videtur aequiperandus. Regibus ac tyrannis imperavit eisque ac si dominus orbis terrarum auctoritate prefuit; episcopis et sacerdotibus religiosis ac Domini mandata observantibus humilis, blandus, pius ac mansuetus apparuit, inreligiosis et a recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus extitit, ut merito credatur alter Helias Deo suscitante nostris in temporibus exsurrexisse, etsi non corpore, tamen spiritu et virtute. ...

892. Anno dominicae incarnationis DCCCXCII. mense Februario Nortmanni, qui ad naves remanserant, Mosam transeuntes Ribuariorum pagum ingressi sunt et secundum crudelitatem sibi ingenitam cuncta devorantes pervenerunt usque Bunnam. Inde digressi occupaverunt quandam villam, quae Landulvestorph nominatur; ubi occurrit eis exercitus christianorum, sed nihil dignum, quod virtuti asscribatur, egit. Nocte superveniente recesserunt Nordmanni a iamdicta villa et formidantes hostilem impetum nequaquam ausi sunt se committere planioribus atque campestribus locis, sed silvas semper tenentes, exercitum vero a leva post tergum relinquentes,

quanta poterant velocitate, ad Prumiae monasterium aciem dirigebant ipsisque iam iamque irruentibus abba et congregatio fratrum vix fuga dilapsi sunt. At Nortmanni monasterium ingressi omnia depopulati sunt et quosdam ex monachis interficientes plurimamque familiam trucidantes reliquos captivos duxerunt. Inde exeuntes Arduennam intrant, ubi quoddam castrum in quodam preminenti monte noviter constructum, in quo innumera multitudo vulgi confugerat, adgrediuntur et absque mora expugnant; interfectisque omnibus cum ingenti preda ad classem redeunt oneratisque navibus cum omnibus copiis transmarinas repetunt regiones.

Per idem tempus Farabertus abba Prumiensis coenobii curam pastoralem sua sponte per concessum regis deposuit et ego, quamvis indignus, secundum regularem auctoritatem per electionem fratrum in regimine successi; in quo tamen non diutius immoratus aemulis agentibus Richarium fratrem Gerhardi et Mahtfridi invidiosum mei negotii successorem sustinui. Obsecro autem, ne lectori honerosum videatur, si rem ab origine repetam et, qualiter huiuscemodi negocium ad effectum perductum fuerit, simplici sermone pandam. Absurdum enim videtur, ut, qui aliorum actiones et rerum gestarum causas explanare proposui, negotium, quod ad me pertinet, silentio pretermittam[1]), – – –

Druck von B. G. Teubner in Leipzig.

94302 Q33
,

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY

13148249
COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0113148249
BUTLER STACKS

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig und Berlin

Grundriß der Geschichtswissenschaft

Zur Einführung in das Studium der deutschen Geschichte des Mittelalters und der Neuzeit

Herausgegeben von Prof. Dr. Aloys Meister

		Geh. ℳ	Geb. ℳ
I. Reihe: Historische Hilfswissenschaften und Propädeutik			
Abt. 1.	*Lateinische Paläographie. Von Archivdir. Prof. Dr. Berthold Bretholz	2.40,	3.—
Abt. 2.	*Urkundenlehre. I. Teil: Grundbegriffe. Könige- und Kaiserurkunden. Von Prof. Dr. Rudolf Thommen II. Teil: Papsturkunden. Von Prof. Dr. Ludw. Schmitz-Kallenberg	2.40,	3.—
Abt. 2a.	†——— III. Teil: Privaturkunden. Von Prof. Dr. Harold Steinacker.	ca. 3.—,	3.60
Abt. 3.	*Chronologie des deutschen Mittelalters und der Neuzeit. Von Geh. Archivrat Dr. Hermann Grotefend.	1.50,	2.10
Abt. 4.	*Sphragistik. Von Archivdirektor Geh. Archivrat Dr. Theodor Ilgen *Heraldik. Von Archivar a. D. Reg.-Rat Dr. Erich Gritzner *Numismatik. Von Geh. Reg.-Rat Dr. Ferdinand Friedensburg	2.80,	3.40
Abt. 4a.	Genealogie. Von Otto Forst-Battaglia	1.80,	2.40
Abt. 5.	*Quellen- und Grundbegriffe der historischen Geographie Deutschlands und seiner Nachbarländer. Von Prof. Dr. Rudolf Kötzschke	1.40,	2.—
Abt. 6.	*Grundzüge der historischen Methode. Von Prof. Dr. Aloys Meister *Geschichtsphilosophie. Von Privatdozent Dr. Otto Braun	1.50,	2.10
Abt. 7.	*Quellen und Historiographie der deutschen Geschichte bis 1500. Von weil. Prof. Dr. M. Jansen, fortgef. v. Prof. Dr. L. Schmitz-Kallenberg	3.—,	3.60
Abt. 8.	†Quellen und Historiographie der Neuzeit. Von Prof. Dr. Herm. Oncken.		
II. Reihe: Historische Sonderwissenschaften			
Abt. 1.	Deutsche Wirtschaftsgeschichte bis zum 17. Jahrhundert. Von Prof. Dr. Rudolf Kötzschke.	2.80,	3.40
Abt. 2.	*†Grundzüge der neueren Wirtschaftsgeschichte (vom 17. Jahrhundert bis zur Gegenwart). Von Prof. Dr. Heinrich Sieveking	ca. 1.80,	2.40
Abt. 3.	*Deutsche Verfassungsgeschichte von den Anfängen bis ins 14. Jahrhundert. Von Prof. Dr. Aloys Meister	3.20,	3.80
Abt. 4.	Deutsche Verfassungsgeschichte vom 15. Jahrhundert bis zur Gegenwart. Von Privatdozent Dr. Fritz Hartung	3.40,	4.—
Abt. 5.	Deutsche Rechtsgeschichte. Von Priv.-Doz. Dr. Claud. Frh. v. Schwerin	3.—,	3.60
Abt. 6.	*Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im Mittelalter. Von Prof. Dr. Albert Werminghoff	5.—,	5.60
Abt. 7.	†Verfassungsgeschichte der katholischen Kirche in der Neuzeit. Von Prof. Dr. Joseph Freisen.		
Abt. 8.	*Geschichte der protestantischen Kirchenverfassung. Von Prof. Dr. Emil Sehling	1.20,	1.80

* 2. Auflage. † In Vorbereitung

Prospekt (mit Vorwort des Herausgebers, Resümes, Inhaltsverzeichnissen und Besprechungen) kostenlos vom Verlag.

VOLUME 2

Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

QUELLENSAMMLUNG ZUR DEUTSCHEN GESCHICHTE

FRITZ VIGENER

QUELLEN ZUR GESCHICHTE DER MITTELALTERLICHEN GESCHICHTSSCHREIBUNG

II

B. G. TEUBNER LEIPZIG BERLIN

Quellensammlung zur deutschen Geschichte

Herausgegeben von E. Brandenburg und G. Seeliger

Die Sammlung soll in erster Linie pädagogischen, in zweiter Linie wissenschaftlichen Zwecken dienen. In jedem Bändchen wird das für die erschöpfende seminaristische Behandlung eines bestimmten Problems erforderliche Material zugänglich gemacht. Einmal gilt es die Quellen für die historische Erörterung jener Fragen zu sammeln, die in den historischen Seminaren der deutschen Universitäten behandelt zu werden pflegen. Dann aber soll auch die Besprechung solcher Probleme ermöglicht werden, die bisher wegen der Verstreutheit des Materiales in den historischen Übungen an den Universitäten nicht erörtert werden konnten.

Ferner sind erschienen:

Quellen z. Geschichte des Investiturstreites. Von Ernst Bernheim.

I. Heft: Zur Geschichte Gregors VII. und Heinrichs IV. 2. Auflage. [VI u. 121 S.] 8. 1913. Steif geh. M. 1.60.

II. Heft: Zur Geschichte des Wormser Konkordats. [VI u. 88 S.] 8. 1907. Steif geh. M. 1.20.

„... Im besonderen werden diese beiden Bändchen Anklang finden, teils um des wichtigen Stoffes willen, den sie in übersichtlicher und handlicher Fassung jedem bequem erreichbar machen, teils des Bearbeiters wegen, dessen Name für die Güte und Zuverlässigkeit der Arbeit bürgt. Sie dürften bald nicht nur zu den unentbehrlichen Hilfsmitteln für Leiter und Teilnehmer von historischen Übungen gehören, sondern auch von manchem Geschichtslehrer an unseren höheren Schulen bei der Vorbereitung auf den Unterricht gern und mit Vorteil gebraucht werden." (Deutsche Literaturzeitung.)

Die Quellen zur Geschichte der Entstehung des Kirchenstaates. Von Johannes Haller. Doppel-Heft. [XVI u. 260 S.] 8. 1907. Steif geh. M. 3.60.

„Die Benutzung der Sammlung erleichtert der Verfasser durch Nachweise über Bedeutung, Herkunft, Handschriften und Ausgaben der mitgeteilten Quellen, durch Verzeichnisse der vorkommenden Namen, durch zahlreiche Anmerkungen über Parallelstellen und zur Erläuterung von Personen- und Ortsnamen und endlich durch die beigegebene Karte von Mittelitalien. Alles in allem, das Büchlein kann sich für Studierende und Seminararbeiten auf diesem Gebiete als nützliches Hilfsbuch und guter Ratgeber erweisen." (Mitteilungen aus der historischen Literatur.)

Quellen zur Geschichte der deutschen Königswahl und des Kurfürstenkollegs. Von Mario Krammer.

I. Heft: Zur Entwicklung der Königswahl vom X. bis zum XIII. Jahrhundert. [X u. 96 S.] 8. 1911. Steif geh. M. 1.80.

II. Heft: Königswahl und Kurfürstenkolleg von Rudolf von Habsburg bis zur Goldenen Bulle. [VII u. 160 S.] 8. 1912. Steif geh. M. 2.20.

„Mit einer Annalenstelle über die Wahl Konrads I. beginnend, mit den einschlägigen Kapiteln der Goldenen Bulle schließend, bringt diese Sammlung in einer Vollständigkeit, wie sich wohl keine andere mittelalterliche Frage ihrer erfreuen kann, und einer kaum zu übertreffenden Präzision alle Quellen für eine der Grundfragen der deutschen Geschichte. Das eingehende Studium dieser beiden Hefte wird jeden, der Geschichte wirklich studiert, ein gutes Stück vorwärtsbringen." (Akademische Blätter.)

Quellen zur Geschichte der ostdeutschen Kolonisation im 12.–14. Jahrhundert. Von Rudolf Kötzschke. [VII u. 142 S.] 8. 1912. Steif geh. M. 2.–

„Die Auswahl der Urkunden ist mit großem Geschick getroffen, vermißt man doch keinen irgendwie wichtigen Typus. ... Einen besonderen Vorzug des Buches sehe ich in den eingelegten erzählenden Stücken, die uns, da sie von Zeitgenossen verfaßt sind, in den Geist der Zeit und in die treibenden Beweggründe einen unmittelbaren Einblick gewinnen lassen." (Historische Monatsblätter für die Provinz Posen.)

(Fortsetzung der Quellensammlung s. Seite 3.)

QUELLENSAMMLUNG ZUR DEUTSCHEN GESCHICHTE
HERAUSGEGEBEN VON E. BRANDENBURG UND G. SEELIGER

QUELLEN ZUR GESCHICHTE DER MITTELALTERLICHEN GESCHICHTSSCHREIBUNG

II

DEUTSCHE GESCHICHTSSCHREIBER DER KAISERZEIT

(VON WIDUKIND VON KORVEY BIS AUF EIKE VON REPGOW)

VON

FRITZ VIGENER

VERLAG VON B. G. TEUBNER IN LEIPZIG UND BERLIN 1914

QUELLENSAMMLUNG ZUR DEUTSCHEN GESCHICHTE
HERAUSGEGEBEN VON E. BRANDENBURG UND G. SEELIGER

QUELLEN ZUR GESCHICHTE DER MITTELALTERLICHEN GESCHICHTSSCHREIBUNG

II

DEUTSCHE GESCHICHTSSCHREIBER DER KAISERZEIT

(VON WIDUKIND VON KORVEY BIS AUF EIKE VON REPGOW)

VON

FRITZ VIGENER

VERLAG VON B. G. TEUBNER IN LEIPZIG UND BERLIN 1914

Pl. Pl.
cd
1914

94302
Q33
v 2

ALLE RECHTE,
EINSCHLIESSLICH DES ÜBERSETZUNGSRECHTS, VORBEHALTEN.

m. c. m. pl. 29-1

VORWORT

In vier Bändchen der „Quellensammlung zur deutschen Geschichte“ wollen Kollege Fritz Kern in Kiel und ich versuchen, den Entwicklungsgang der mittelalterlichen Geschichtschreibung des Abendlandes mit besonderer Berücksichtigung Deutschlands zu veranschaulichen. Die Auswahl ist also lediglich durch historiographische Gesichtspunkte bestimmt.

Unsere Sammlung will dazu anleiten, in den Geschichtsquellen nicht nur Zeugnisse der Begebenheiten, sondern vor allem auch Erzeugnisse der Geister zu würdigen, um so den Lernenden in die Formen und den Entwicklungsgang der mittelalterlichen Geschichtschreibung einzuführen. Die Auswahl soll die Möglichkeit bieten, die Entstehung der wichtigsten Werke zu erkennen, die Arbeitsweise, das Urteil, die Gesamtanschauung der bedeutenderen Geschichtschreiber zu beobachten; sie möchte, soweit das erreichbar ist, in den Stücken einen Begriff vom Ganzen geben. Sie kann und soll dabei nicht das Studium des Ganzen ersetzen oder versperren; sie möchte im Gegenteil dazu anregen und hinleiten. Manche Stücke sind überdies so gewählt oder unter dem leidigen Zwang der Raumschranken so begrenzt, daß sie selbst ihre Ergänzung fordern. Die Streitschriftenliteratur bleibt anderen Bändchen der „Quellensammlung“ vorbehalten.

Wie alle Hefte dieser Quellensammlung, so ist das vorliegende zunächst für die Übungen Historischer Seminare gedacht. Pädagogische Erwägungen mußten darum jeden Literaturnachweis verbannen. Es ist durchaus zu fordern, daß der Student lerne, mit den Hilfsmitteln, deren Benutzung ihm der Seminarunterricht erschließt, sich selbst den Weg zu der älteren, neueren und neuesten Literatur zu bahnen.

In der Anordnung der Quellen habe ich mich nach einigem Zögern an das Vorbild von Wattenbachs „Geschichtsquellen“ gehalten. Für das Selbststudium, dem die vorliegende Auswahl sich als ein bescheidenes Lesebuch zur Ergänzung der Vorlesung oder des Lehrbuchs darbietet, wird die Wattenbachsche Reihenfolge noch immer die verhältnismäßig beste sein.

Nur solche Werke, die als typische Vertreter einer Entwicklungsform der Geschichtschreibung gelten dürfen oder durch die Individualität des Verfassers ihren besonderen Wert erhalten, sind in unserer Auswahl berücksichtigt. Von den Arbeiten zweiten und dritten Ranges fehlt in dem vorliegenden Heft manche, die in jeder Darstellung der mittelalterlichen Geschichtschreibung genannt werden muß und die auch mir nahezu unentbehrlich schien, bis schließlich doch die Rücksicht auf den vereinbarten Umfang die stärkste Beschränkung zu üben gebot.

Das dritte Heft wird sich im Inhalt unmittelbar an das vorliegende anschließen und die deutsche Geschichtschreibung bis ins 15. Jahrhundert zu veranschaulichen suchen. Kern hat das erste Bändchen (frühmittelalterliche Geschichtschreibung) und das vierte (außerdeutsche Geschichtschreibung vom 10. bis zum 15. Jahrhundert) übernommen.

Die wenigen Abkürzungen verstehen sich von selbst; SS. R. G. bezeichnet die Oktavbände der Scriptores rerum Germanicarum in usum scholarum ex monum. Germ. histor. recusi; SS. = Monumenta Germaniae historica, Abteilung Scriptores. Die verschiedenen Rezensionen der Weltchronik Ekkehards von Aura und die Deutsche Kaiserchronik sind, um Raum zu sparen, in Kleindruck gesetzt worden. Für freundliche Beihilfe bei der Korrektur habe ich Herrn stud. phil. Richard Reitzenstein herzlich zu danken.

Freiburg i. Br., März 1914

F. VIGENER

INHALT

	Seite
1. Widukind von Korvey	1
2. Hrotsvith von Gandersheim, Gesta Ottonis	4
3. Vita Mathildis reginae antiquior	7
4. Annales Quedlinburgenses	9
5. Thietmar von Merseburg	11
6. Ruotgeri Vita Brunonis	14
7. Continuatio Reginonis	15
8. Ekkehard IV. von St. Gallen, Casus s. Galli	18
9. Wipo	
a) Gesta Chuonradi II. imperatoris	20
b) Tetralogus	23
10. Annales Altahenses maiores	24
11. Annales Hildesheimenses	28
12. Nortbert von Iburg, Vita Bennonis	30
13. Annales Patherbrunnenses	32
14. Hermann von Reichenau, Weltchronik	34
15. Berthold und der schwäbische Annalist	38
16. Bernold von St. Blasien, Weltchronik	42
17. Adam von Bremen	44
18. Bruno, De bello Saxonico liber	48
19. Carmen de bello Saxonico	50
20. Vita Heinrici IV. imperatoris	51
21. Lambert von Hersfeld	
a) Vita Lulli	53
b) Libellus de institutione Herveldensis ecclesiae	55
c) Annales	55
22. Marianus Scottus, Weltchronik	58
23. Siegbert von Gembloux, Weltchronik	61
24. Ebo, Vita Ottonis episcopi Bambergensis	65
25. Frutolf von Michelsberg, Weltchronik	66
26. Ekkehard von Aura, Weltchronik	
a) Rezension B	71
b) Rezension C	72
c) Rezension D (und E)	74

Seite

27. Annalista Saxo 77
28. Die Kaiserchronik eines Regensburger Geistlichen . . . 79
29. Otto von Freising
    a) Weltchronik 81
    b) Gesta Friderici 92
30. Rahewin, Gesta Friderici 95
31. Otto von St. Blasien 98
32. Ligurinus 100
33. Gottfried von Viterbo
    a) Pantheon (Liber universalis) 102
    b) Gesta Friderici 103
34. Helmold von Bosau, Cronica Slavorum 104
35. Arnold von Lübeck, Chronica Slavorum 107
36. Giselbert von Mons 109
37. Annales Palidenses 111
38. Chronica regia Coloniensis 114
39. Burchard von Ursperg, Chronicon 117
40. Annales Marbacenses 119
41. Die Sächsische Weltchronik Eikes von Repgow 122

1. Widukind von Korvey.

Widukindi monachi Corbeiensis rerum gestarum Saxonicarum libri tres. Ed. IV., post G. Waitz recogn. K. A. Kehr, 1904 (SS. R. G.).

[Ad dominam Mahthildam imperatoris filiam Libri primi incipit prephatio.]

Flore virginali cum maiestate imperiali ac sapientia singulari fulgenti dominae Mahthildi ultimus servulorum Christi martirum Stephani atque Viti, Corbeius Widukindus, totius servitutis devotissimum famulatum veramque in Salvatore salutem. Quamvis te paternae potentiae gloria singularis magnificet ac clarissima decoret sapientia, nostra tamen humilitas praesumit de proxima sceptris semper clementia, quia nostra devotio a tua pietate suscipiatur, etiamsi non mereatur. Nam cum nostro labore patris potentissimi avique tui gloriosissimi res gestas memoriae traditas legeris, habes, unde ex optima et gloriosissima melior gloriosiorque efficiaris. Nec tamen omnia eorum gesta nos posse comprehendere fatemur, sed strictim et per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, non fastidiosus. Sed et de origine statuque gentis, in qua ipse rerum dominus Heinricus primus regnavit, pauca scribere curavi, ut ea legendo animum oblectes, curas releves, pulchro otio vaces. Legat igitur tua claritas istum libellum ea pietate nostri memor, qua est conscriptus devotione. Vale.

[Explicit prephatio.]

Incipit liber primus rerum gestarum Saxonicarum.

1. Post operum nostrorum primordia, quibus summi Imperatoris militum triumphos declaravi, nemo me miretur principum nostrorum res gestas litteris velle commendare; quia in illo opere professioni meae, ut potui, quod debui exolvi, modo generis gentisque meae devotioni, ut queo, elaborare non effugio.

2. Et primum quidem de origine statuque gentis pauca expediam, solam pene famam sequens in hac parte, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante. Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de Danis Northmannis-

que originem duxisse Saxones, aliis autem aestimantibus, ut ipse adolescentulus audivi quendam praedicantem, de Graecis, quia ipsi dicerent, Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus, qui secutus magnum Alexandrum inmatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus. Caeterum gentem antiquam et nobilem fuisse, non ambigitur; de quibus et in contione Agrippae ad Iudaeos in Iosepho oratio contexitur, et Lucani poetae sententia probatur.

3. Pro certo autem novimus, Saxones his regionibus navibus advectos, et loco primum applicuisse qui usque hodie nuncupatur Hadolaun.

4. Incolis vero adventum eorum graviter ferentibus, qui Thuringi traduntur fuisse, arma contra eos movent; Saxonibus vero acriter resistentibus, portum obtinent. Diu deinde inter se dimicantibus, et multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, foedus inire; actumque est foedus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, caeterum ab agris, a caede hominum atque rapina abstinerent; stetitque illud foedus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defecisset pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem sibi pacem esse arbitrabantur.

12. Mane autem facto ad orientalem portam ponunt aquilam, aramque victoriae construentes, secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt: nomine Martem, effigie columpnarum imitantes Herculem, loco Solem, quem Graeci appellant Apollinem. Ex hoc apparet aestimationem illorum utcumque probabilem, qui Saxones originem duxisse putant de Graecis, quia Hirmin vel Hermis graece Mars dicitur; quo vocabulo ad laudem vel ad vituperationem usque hodie etiam ignorantes utimur. Per triduum igitur dies victoriae agentes et spolia hostium dividentes exequiasque caesorum celebrantes, laudibus ducem in caelum attollunt, divinum ei animum inesse caelestemque virtutem acclamantes, qui sua constantia tantam eos egerit perficere victoriam. Acta sunt autem haec omnia, ut maiorum memoria prodit, die Kal. Octobris, qui dies erroris religiosorum sanctione virorum mutati sunt in ieiunia et orationes, oblationes quoque omnium nos praecedentium christianorum.

15. Magnus vero Karolus cum esset regum fortissimus, non minori sapientia vigilabat. Enimvero considerabat, quia suis temporibus omni mortali prudentior erat, finitimam gentem nobilemque vano errore retineri non oportere; modis

omnibus satagebat, quatinus ad veram viam duceretur, et nunc blanda suasione, nunc bellorum inpetu ad id cogebat, tandemque tricesimo imperii sui anno obtinuit – imperator quippe ex rege creatus est –, quod multis temporibus elaborando non defecit: ob id qui olim socii et amici erant Francorum, iam fratres et quasi una gens ex christiana fide, veluti modo videmus, facta est.

22. Erat autem ea tempestate Magontiacae sedis antistes nomine Hattho, acutus consilio, acer ingenio, et qui varietate sibi consueta multos mortales precederet. ... [Is, ut ferunt, Adelberhtus, ab ipso quondam pontifice in fide susceptus, eius est consilio deceptus; quod quia non probamus, numquam adfirmamus, sed vulgi rumore magis fictum credimus.]

lib. II. cap. 25. Defectionis causam edicere et regalia misteria pandere, super nos est, verum historiae satisfaciendum arbitramur; quicquid in hac parte peccemus, veniabile sit. Summus pontifex missus ad Evurhardum pro concordia et pace, cum esset earum rerum desiderantissimus, pacto mutuo suum interposuit iuramentum, et ideo ab eo non posse desipere fertur narrasse. Rex autem per pontificem officio suo congruentia dirigens responsa, nil ad se pertinere voluit, quicquid episcopus egisset sine suo imperio. Quare quia contra auctoritatem regi quasi praecellenti noluit subici, sed recessit ab eo, in Hammaburgensem urbem quasi in exilium destinavit, Rothardum vero episcopum novam Corbeiam direxit. In brevi vero utrisque clementer ignoscit, in sui gratiam suscipit, et honori pristino reddidit.

37. Igitur cum bella intestina externaque cessarent, leges divinae atque humanae auctorali vigore pollent. Gravisque persecutio monachis oritur in diebus illis, affirmantibus quibusdam pontificibus, melius arbitrati paucos vita claros quam plures negligentes inesse monasteriis oportere; obliti, nisi fallor, sententiae patrisfamiliae prohibentis servos zizania colligere, sed utraque crescere oportere et zizania et triticum usque ad messem. Quo factum est, ut plures propriae infirmitatis conscii deposito habitu et relictis monasteriis, grave onus sacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam qui summum pontificem Frithericum hoc non pure, sed ficte fecisse arbitrati sunt, quatinus venerabilem virum regique fidelissimum abbatem Hadumarum quoquo modo posset dehonestaret.

lib. III. cap. 49. Triumpho celebri rex factus gloriosus, ab exercitu pater patriae imperatorque appellatus est, decretis proinde honoribus et dignis laudibus summae divinitati per singulas ecclesias, et hoc idem sanctae matri eius per nuntios demandans, cum tripudio ac summa laetitia Saxoniam victor reversus, a populo suo libentissime suscipitur; neque enim tanta victoria quisquam regum intra ducentos annos ante eum laetatus est. [Nam ipsi bello Ungarico aberant, Sclavanico certamini reservati.]

56. Crebris victoriis imperator gloriosus factus atque famosus, multorum regum ac gentium timorem pariter et favorem promeruit. Unde plurimos legatos suscipit, Romanorum scilicet et Graecorum Sarracenorumque, per eosque diversi generis munera, vasa aurea et argentea, aerea quoque, et mira varietate operis distincta, vitrea vasa, eburnea etiam et omni genere modificata stramenta, balsamum et totius generis pigmenta, animalia Saxonibus antea invisa, leones et camelos, simias et strutiones; omniumque circumquaque christianorum in illo res atque spes sitae.

2. Hrotsvith von Gandersheim, Gesta Ottonis.

Hrotsvithae opera recens. et emendavit Paulus de Winterfeld, 1902 (SS. R. G.).

Praefatio.

Gerbergae, illustri abbatissae, cui pro sui eminentia probitatis haut minor obsequela venerationis, quam pro insigni regalis stemmate generositatis, Hrotsvit Gandeshemensis, ultima ultimarum sub huiusmodi personae dominio militantium, quod famula herae.

O mea domna, quae rutilanti spiritalis varietate sapientiae perlucetis, non pigescat vestri almitiem perlustrare, quod vestra confectum si ignoratis ex iussione. Id quidem oneris inposuistis, ut gesta caesaris augusti, quae nec auditu unquam affatim valui colligere, metrica percurrerem ratione. ... Si tamen sanae mentis examen accesserit, quae res recte pensare non nescit, quanto sexus fragilior scientiaque minor, tanto venia erit facilior; praesertim cum si meae praesumptionis, sed vestrum causa iussionis huius stamen opusculi coeperim ordiri. Cur tamen aliorum iudicia formido, quae vestri solummodo censurae, si quid fefelli, obnoxia existo? vel cur nequeam devitare convicia, quae solummodo silentio studere debeo, ne si seriem pro sui vilitate nulli ostendendam velim propalari, merito omnium succumbam reprehensioni? Vestro autem vestrique familiarissimi, cui hanc rusticitatem sanxistis praesentatum iri, scilicet archipraesulis Wilhelmi, iudicio, quoquomodo factum sit, aestimandum relinquo.

Pollens imperii regnator caesariani,
Oddo, qui regis pietate fovente perennis
In ceptris augustalis praeclarus honoris
Augustos omnes superas pietate priores,
Quem plures gentes passim metuunt habitantes,
Muneribus variis Romanus donat et orbis!
Exiguum munus ne spernas carminis huius,
Iste sed oblatus laudum placeat tibi census,
Quem postrema gregis solvit tibi Gandeshemensis,
Quem dulcis patrum collegit cura tuorum,
Continuumque tibi debet studium famulandi.
Forsan gestorum plures scripsere tuorum
Et sunt scripturi post haec insignia multi:
Sed non exemplum quisquam mihi praebuit horum,
Nec scribenda prius scripti docuere libelli;
Causa sed est operis tantum devotio mentis,
Haec et ad audendum suadebat opus metuendum.
Nam sat formido, quod gesta tui modulando
Incaute sim falsa sequens, non vera retexens:
Sed non hoc suasit mala mis praesumptio mentis,
Nec summa veri contempta sponte fefelli;
Sed res, ut scripsi, sese sic prorsus habere,
Ipsi dicebant, mihi qui scribenda ferebant.
Hinc augustalis pietas non spernat honoris,
Quod supplex humilis gessit devotio mentis;
Et, cum te libri laudantes congrue multi
Post haec scribantur meritoque placere probentur:
Ordine postremus non sit tamen iste libellus,
Quem prius exemplo constat scriptum fore nullo;
Et, licet imperii teneas decus Octaviani,
Non dedigneris vocitari nomine regis,
Donec perscripto vitae regalis honore,
Ordine digesto necnon sermone decoro
Dicatur sceptri decus imperiale secundi.

O quam tranquillum ridens deduceret aevum
Fortunata satis nostrae res publica gentis,
Quae nimis imperio regis regitur sapientis,
Si non antiqui mala calliditas inimici
Turbaret nostrum secreta fraude serenum!
Denique, devictis aligenorum bene telis,
Exoritur nostris subito discordia fortis,
Laeserat et plebem bellum civile fidelem
Plus quam bellorum structura frequens variorum.
Huius causa mali fuerat non parva dolendi,
Denique conflictus quorundam non moderatus,
Ex quibus Henrico quaedam pars mente benigna
Devovit regis fratri ius vernulitatis,
Pars Evurhardo comiti studium famulandi.
At cum quisque sui peteret solamina domni,
Hinc gravior dominis discordia nascitur ipsis.
Tandem percerte conflictu progrediente,
Praedictus praeses, male collectas legiones
Mox ad castellum Baduliki capiendum
Ex inproviso mittens sub nocte nigella,
Duxit captivum fratrem regis generosum
Henricum, vinclis palmas stringendo cruentis
Eius candidolas, ornamentis magis aptas;
Atque suas gazas disperdens innumerosas,
Ad sua mox prolem secum deduxit herilem,
Utitur ut socio proprii domini quoque nato.

Aeque ferens sceptrum, capitis diademaque pulchrum
Atque sui cultus omnes regalis amictus.
Ornatus sed maioris suscepit honoris
Augusto summo pariter mox conbenedicta.
Actenus Oddonis famosi denique regis
Gesta, licet tenui Musa, cecini modulando.
Nunc scribenda quidem constant, quae fecerat idem,
Augustus solium retinens in vertice rerum. —
Tangere quae vereor, quia femineo prohibebor
Sexu, nec vili debent sermone revolvi:
Qualiter invicti duro luctamine belli
Obtinuit constructa locis castella marinis,
Quae Beringarius, coniunx possedit et eius,
Ac illum, iuramento cogente peracto,
Misit in exilium misera cum coniuge Willa;
Qualiter et recti conpunctus acumine zeli

Summum pontificem, quaedam perversa patrantem
Eius nec monitis dignantem cedere crebris,
Sedis apostolicae fraudari fecit honore,
Constituens alium rectoris nomine dignum;
Qualiter et regno tranquilla pace quieto
Nostrates adiens, illic iterumque revertens,
Necnon amborum retinens decus imperiorum,
Ipsius prolem post illum iam venientem,
Scilicet Oddonem, nutricis ab ubere regem,
Ad fasces augustalis provexit honoris
Exemploque sui digne fecit benedici.
Haec igitur nostris nequeunt exponier orsis,
Sed quaerunt seriem longe sibi nobiliorem.
Hinc ego, tantarum prohibente gravedine rerum,
Ultra non tendo, finem sed provide pono,
Post haec incepto ne succumbam male victa.
His ita finitis et summatim replicatis,
Est ingens regis pietas oranda perennis,
Quo pius augustos praestet deducere nostros
Instantis vitae tempus feliciter omne,
Et, fultos semper cunctis ad vota secundis,
Ecclesiae multos custodes servet in annos,
Nobis solamen dantes clementius. Amen.

3. Vita Mathildis reginae antiquior.

Ed. Köpke, SS. 10, S. 573–582.

Incipit prologus in vita Machtildis reginae.

Dum plerique mortalium studio seculari inaniter dediti, perhennem sui nominis memoriam seu humani mercedem favoris inde quaerentes, vitas clarorum sapienter populares propagando ad aures philosophatico fabulose illustrarent stilo virorum, nos autem, gloriosissimi Ottonis inperatoris iussu, non philosophando sed vera dicendo laudabilem dignissimorum sui vitam parentum, sibi exemplo aliisque posteris mox futuram, licet rustice, perscripsimus. Et quamvis huius rei nos minime familiares, scribendo quid proferre, agnoscamus, inperiali tamen obtemperantes dignitati, magnas aridum cogenti undas inpellentes rivum, non virium audacia, sed prona devotione materiam disertis merito reservandam scriptoribus inprudenter occupavimus. Nam tantorum latere virtutes temeritate silentii, nefas putavimus. Ergo, omnis eloquentiae praesul — quem non solum magni extollit sublimi-

tas inperii, imo etiam philosophiae favet auctoritas, expleto iudicio cuiusdam dicentis, beatum regimen fore, si sapientiae studiosos rectores esse contigisset, ita fit, ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat — igitur te huius operis, inperator Otto, iudicem facimus, ut, quae forte a nobis praetermissa vel viciose dicta fuerint, sapientium industriam addere vel mutare commendes, et quia tantam materiae seriem nos impossibile est ad extremam producere manum, a te, quasi quodam solis splendore, clarius clarescat opus. Plura vero ex his quae comperta sunt nobis omisimus, quia sufficere si tantum excellentia notarentur credidimus; simul ne legentibus superflua fastidium ingererent fecimus. Haec autem qui lecturi sunt, fidem dictis adhibeant petimus, nec me quicquam nisi probata scripsisse arbitrentur.

---

4. Praefatus vero dux Otto, pater Heinrici, tres post haec vivens annos, mortem subiit. Principes quoque regni consilium ineuntes tractabant, quis heroum principatum teneret. At ipsi prioris non inmemores gratiae, ipsum illum filium elegere ducem, nam et armis Saxonum erat fortissimus, qui plus solito caritatis amore populos placando sibi coniunxit, ita ut eum regem optarent. Post non longum tempus Conradum Francorum regem hominem exuisse contigit; bello seu pace fieret, ignoramus; sceptrum Heinrico successit, totaque regni facultas. His, ut diximus, dispositis, Saxones rege ditati tali potiuntur honore, quibus nunquam tantae primatus subesse solebant causae. O Germania! aliarum prius iugo depressa gentium, sed sublimata modo inperiali decore, regem fideliter serviendo dilige, eumque quantum poteris iuvare conare, princepsque ne desit ab illo genere optare ne cesses, ne despoliata gradibus honorum omnibus, prioris redeas ad statum servitutis. ...

12. His actibus beatis occupatam in tantum divina provexit clementia, ut etiam Domino largiente miraculorum inclaruisset luce. Nam in Quidilingaburg civitate die quadam stans supra montis verticem, pauperum in valle vescentem conspexit turmam, ministrumque interrogavit, si panis pauperibus datus esset cum ceteris alimentis, et ille respondens dixit: Minime. Hinc quasi in dispensatorem irata, subito pane erepto, signo crucis manu inpresso, Domini invocato nomine, ut ad omnia solebat, de alto proiecit cacumine, qui per saxa volutatus et sepem, incolumis cuiusdam pauperis pervenit in sinum, quod qui aderant videntes mirati sunt, divina id con-

tigisse testantes virtute. Fulgebat et alio in eadem civitate miraculo. Nam cum in ecclesia Deo holocaustum offerret devotissime, quaedam cervula domestica intra claustrum edomita, occulte ampullam, vas quoque vini, ut saepe in monasteriis assolet, subripiendo devoravit, quam praesentes obstupefacti feram caedendo, minando, manibus plaudendo requirere non valebant, donec digna Deo regina ori bestiae manu porrecta blandis verbis dixisset: Redde, nostrum est, quod tulisti. Illa dicto citius hanc quam hauserat revomuit ampullam. Quis dubitet, supernum dominatorem eius meritis feralem in humanum vertisse sensum? Plurima vero in ea operatus est Dominus, quae si per singula notari possent, miranda viderentur; sed intrinsecus magis enituit virtutibus, quam forinsecus miraculorum signis.[1])

4. Annales Quedlinburgenses.

SS. 3, S. 22–90.

... 916. Ungari Saxonia vastata et cunctis circumquaque direptis, venerunt usque ad Fuldam.

917. Ercancharius, Berthardus, et Lutfridus capite plectuntur.

918. Einhardus episcopus occiditur.

919. Conradus rex moriens, quem non propinquitatis suae iura, sed invictae fidei eximiaeque virtutis munia prae caeteris admodum commendaverant, sceptris ac regno Heinricum feliciter potiturum, sibi succedere deliberavit, hisque rite per omnia dispositis, viam totius carnis ingreditur.

920. Post excessum Conradi regis praefatus Saxoniae ducis filius ac Frantiae dominus Heinricus, communi senatus ac plebis assensu electus et unctus in regem, quanta terra marique victoria deinde nituerit, quanta domi militiaeque subiectos industria rexerit, dictis ac scriptis inexplicabile constat.

1005. Interim ipse rex, ira permanente contra Bolizlavonem, reparato agmine Poloniam accelerans, fugientem insequitur, suam iniuriam quasi defensurus, sed proh dolor! multos perditurus. Bernhard et Isi, Thiedbern et Bernhard, cum aliis occisi. Rex vero, quamvis dolens, assumpta non bona pace, cum lachrimabili revertitur exercitu, portans secum corpora mortuorum. Obiit Kiesut.

---

1) *Vgl. dazu die Vita posterior, SS. 4, S. 295, 34–296, 19.*

1006. Balduinus in Gallia elevatur contra regem cum Landberto in Valentia, civitate non sua. Quod rex aegre ferens, eo in expeditionem properat, plurimo sudore suorum longo tempore frustra ibi commoratus, sicque ficta pace revertens.

1017. Heinricus imperator hoc anno in Ingilaheim paschalibus gaudiis festivus interfuit. Eodem anno in coenobio monacharum 8. Cal. Martii dedicata est ecclesia sanctae Mariae semper virginis, et in Magadeburch exusta est ecclesia sancti Iohannis baptistae cum monasterio et uno monacho. Imperator etiam hoc anno iterum castra movit contra Bolizlavum, sed nimia pestilentia et mortalitate populi obstante, sine belli effectu rediit in patriam. Cui ilico nunciatur, Gerhardum in Francia, plurimis civili gladio peremptis, multa mala concitare. Unde turbatus, illo ire paravit. Eclypsis lunae facta est 7. Idus Novembris. Obiit Thaetdeg Pragensis episcopus, cui successit Eghardus Nianburgensis abbas.

1018. Imperator Heinricus natalis Domini festum agit in Franconofurt, et sanctum pascha in Niumagun. Et hoc anno Bolitzlavo, per nuncios reconciliata pace, imperatoris gratiam recepit. Cometa etiam eodem anno diu visus est, qui luctum nimiae devastationis per Thiadricum Galliae partibus, pestilentiam insuper et mortalitatem misero mundo nunciavit. ...

1021. His peractis imperator augustus, concessae sibi victoriae prosperitatisque causa gratias divinae pietati rependens, alacri tripudio Saxoniae partes aggreditur. Interim procurrente tempore, cum Saxoniam properaret revisere, palmisque Walbekae iterato rite peracturus, festaque paschalia Meresburgae deinceps debita celebraturus veneratione; inter ipsa itinera venerabilem Heribertum archiepiscopum humanis excessisse rebus, imperatorias pervenit ad aures. ... Post haec Halberstadensem ecclesiam aggrediens, sancta Thebaeorum martyrum solennia, Arnulfo praesule administrante, honore celebravit dignissimo. Dehinc neptem suam, herilem dominam Adelheidam invisere, Quedelingnensis dedicationemque basilicae, licet improvisa inopinataque brevi tamen deliberatione quam familiariter instituens, eandem Metropolim adeundo pervenit. ... Et quid de victoriosissimi imperatoris referam gratulatione? cui cuncta mundi climata colla subdendo inserviunt, quique eo magis super accumulata gloria merito gaudet, quo se, Deo donante, altiorem ceteris, praeminentem laetatur universis. Sed ne audientium aures diu-

tina verbositatis prolixitate protraham, qualiter haec sacrosancta dedicatio, ipso iubente, fuerit effecta, paucis perstringam. Anno incarnationis Domini 1021, indictione 4, 8. Calend. Octobris, dominica die, luna 13, anno vero domni Heinrici secundi regnantis 20, imperantis 8, ipso praesente cum coniuge, imperatrice scilicet Cunigunda, totiusque regni episcoporum ac optimatum conventu, ab Arnulfo, Halberstadensis ecclesiae episcopo, dedicatum est hoc templum et altare supremum in honore sanctae et individuae Trinitatis, et sanctae Mariae matris Domini, sanctique Iohannis baptistae, et sancti Petri principis apostolorum, sancti Stephani protomartyris, sancti Dionysii et sociorum eius, ac sancti Servatii confessoris. ...

5. Thietmari Merseburgensis episcopi chronicon.

Post editionem Joh. M. Lappenbergii recogn. Frid. Kurze, 1889 (SS. R. G.).

lib. I, 1 (1). Mens est omnibus aliqua proficuitate cluentibus in presenti et in futuro sibi proficere, commissasque sibi res, ut potis est vel sollers fiducia sinit, propagare viventique semper memoriae commendare. Quocirca ego Thietmarus, non solum honoris, verum etiam nominis indignus episcopalis, Merseburgensis seriem civitatis olim longe lateque cluentem, nunc autem oblivionis senio caligantem fervens retegere, admodum vereor fumum ex fulgore inscicia producere et ut imus faber infelici summa operis deficere. Sed suppetente cuiquam bona voluntate, et ut beatus fatetur Gregorius, Christo ad hoc asspirante, incipio, ac ignotae eiusdem clemenciae, qualiter vel scriptura haec vel etiam omnis prefatae urbis summa concludatur, supplex committo.

8 (5). ... Episcopalis unctionem benediccionis, a Herigero archiepiscopo exhibitam, antecessorum more priorum non desideravit, nec suscipere voluit, sed prorsus ad hoc indignum se affirmavit. Attamen in hoc eum equidem peccasse vereor, quia in Vita sancti patris Othelrici, quem idem rex post ad sacerdotalem promovit ordinem, legi sanctam Christi martyrem Affram dilecto suimet presuli multa in visu ostendisse, inter quae duos enses, unum cum capula, aliumque sine ea, ac per eum Heinricum regem consecracionis expertem demonstrasse. Sed occulto hoc Dei iuditio relinquens, amplius progrediar.

lib. II, 28 (18). Romanorum prepotens imperator augustus valentiorem [sibi] in Christo domnum apostolicum, nomine Benedictum, [quem] nullus absque Deo iudicare potuit, iniuste, ut spero, accusatum, deponi consensit et, quod utinam non fecisset, exilio ad Hammaburcg religari precepit, ut post luci dius indicabo. ...

35 (22). [Frithericus archipresul XVII. ordinationis suae anno, vir abstemius obiit, et Willehelmus, de matre quamvis captiva [et Sclavonica] tamen nobili et ex rege predicto genitus, vice eius ordinatur anno dominicae incarnationis DCCCCLIIII°. Dehinc in quarto eiusdem numeri anno signum salutiferae crucis in vestimentis hominum mirabiliter et magis miserabiliter elucens digne accipientibus profuit [et] irridentibus nocuit. Anno dominicae incarnationis DCCCCLXIII. ob depositionem supra memoratam Benedicti papae et exilium, quo moritur, seva mortalitas inperatoris exercitum subsequitur, quae Heinricum Treverensem archiepiscopum et ducem Godefrithum cum caeteris innumerabilibus consumpsit. ...]

lib. IV, 15 (10). [Nunc autem de fine imperatricis predictae locuturus, quae hunc precesserint signa, narrabo. Anno dominicae incarnationis DCCCCLXXXVIIII sol defecit XII. Kal. Novembris [et V. diei hora]. Sed cunctis persuadeo christicolis, ut veraciter credant, hoc non aliqua malarum incantacione mulierum vel esu [fieri] vel huic aliquo modo seculariter adiuvari posse, sed sicut Macrobius testatur caeterique sapientes fieri asserunt, et id de luna.] [Et sequenti anno] consummato in bonis vitae suimet cursu in Niumagun infirmatur [imperatrix] atque ab hac vita XVII. Kal. Iulii discedens sepulta est ab Ewergero sanctae Coloniensis aecclesiae archiepiscopo in monasterio sancti Pantaleonis. ...

50 (31). Hii autem, qui extremis eius intererant, haec tam diu celabant, quoad exercitus undique tum dispersus per internuntios colligeretur. ... Exin cum ad Pollingun, curtem Sigifridi presulis Augustanae, venirent, ab Heinrico duce suscepti lacrimis eiusdem vehementer iterum commoti sunt. Quos singulatim, ut se in dominum sibi et regem eligere voluissent, multis promissionibus hortatur; et corpus imperatoris cum apparatu imperiali, lancea dumtaxat excepta, quam Heribertus archipresul clam premittens suam sumpsit in potestatem. ...

54 (34). ... Sed haec posterius exponenda relinquens ab eo incipiam scribere, qui pietate divina et virtute sua omnes adversum se umquam erigentes humiliavit et cervice flexa

sibi honorem inpendere coegit. Et hic quintus in ordine, secundus in nomine, notet quinti titulum libri.

55 (35). [[Et] quia omne, quod in huius planicię operis asscribendum est, ordinatim ponere nequeo, in consequentibus sensim recolligere equidem non erubesco. Iterantis enim varia vicissitudine fruor, qui rectae semitis ductum nunc ob asperitatem, interdum autem propter ignorantiam flexuosa callium varietate mutat. Unde Miseconis, Poleniorum incliti ducis et in superioribus libris ex magna parte signati, residuum explico factum. ...]

75 (51). [Quam egreios proceres in hac urbe vidi, quorum laudabilem vitam pro debito nec sum imitatus neque memoriam eorum post solutionem carnis assequutus. Heu me misero! qui tot tantisque immerito sum coniunctus in fraternitate, sed longe dissimilis existo in condigna conversacione. Ego in peccatis iam pene mortuus, ut spero, vivam in lucido conspectu Dei eorundem meritis refocilatus; quia etsi in hoc seculo parum boni operatus sum, tamen defunctorum semper memor sum. Voluntas mea interdum bona est; sed quia eidem vires aptas suggerere non studeo, parum prodest. Semper me accuso, sed sicut debui reatum non solvo; sumque ideo in omnibus corrigibilis, quia me non converto ad eum, qui est super omnia laudabilis. Agnosce, lector, procerem, et videbis in me parvum homuntionem, maxilla deformem leva et latere eodem, quia hinc olim erupit semper turgescens fistula. Nasus in puericia fractus ridiculum de me facit. Idque totum nil questus essem, si interius aliquid splendescerem. Nunc sum miser, nimis iracundus et ad meliora inflexibilis, invidus, subsannans alios, ipse deridendus, nulli pro debito parcens, glutto et simulator, avarus et detractor et, ut haec convicia merito illata concludam, peior sum, quam possit dici vel ullatenus estimari. ...]

lib. VIII, 2 (VII, 3). ... In Ravenna duos et Romae totidem sinodali iudicio papa deposuit, ab archiepiscopo Leone iam muto consecratos. Sanctorum instituta patrum in sacris ordinibus ibidem et apud nos diu, pro dolor! neglecta cum excommunicatione redintegrata renovavit. Prohibent namque canones, ut ante XXV annos diaconus, presbiter autem et episcopus ante XXX annos nequaquam ordinetur. Hoc quia non servavimus, miseri prevaricatores sumus excommunicationemque incidimus.

6. Ruotgeri Vita Brunonis.

Recens. Pertz. 1841 (SS. R. G.; *neue Titelausgabe „1890" auf dem Umschlage*).

Incipit praefatio vitae domni Brunonis Coloniensis archiepiscopi.

Domino in Christi gratia beatissimo atque in omni splendore sapientiae perfectissimo Folcmaro archiepiscopo Ruotgerus, servorum suorum ultimus, verae claritatis gloriam sempiternam. ... De ipso tamen quomodocumque loqui, quia vos iussistis, delectabile fuit. Qui ab initio sic fuit animatus, ut non magis sua causa se putaret natum, quam nostra reique publicae procreatum. Fecit omnino plurima et prope infinita, quae digna fuerunt sempiterna memoria; set non expectet auditor aut a me aut a quolibet haec omnia explicanda. Quod si quis fideliter et vere agendum promitteret, singulos quos pueritiam praetergressus vixit annos propriis et his utique spaciosis codicibus insigniret. Aestimo igitur multos longe lateque hac occupatos industria, ut gesta eius his etiam qui post futuri sunt, partim scribendo partim commemorando transmittant. Non enim in una provincia aut in uno negotiabatur regno; omnium quos adire poterat salutem benivolentiae atque laboris studiique sui quaerebat commertio. Non desunt plurimi qui hoc laute et prudenter exequi possint, cum, etsi nulli alii tales valeant repperiri, in solis eius discipulis omne studiorum et eloquentiae genus adhuc recenti eius memoria ita per multa terrarum loca floreat, ut maxima rerum gestarum insignia non enarrare modo, verum et exornare sufficiat. Quot quantosque de alumnis tanti viri episcopos, quantos in quacumque ecclesiasticae professionis disciplina probatissimos novimus, qui eum et familiarius noverunt, et perfectius illustribus monumentis vitam eius declarare potuerunt! Set qui sum ego, qui votis vestris, dominorum excellentissime, ausus fuerim contraire? Feci ergo quod potui, quomodo potui, non praesumens de scientia, set fiduciam qualemcumque retinens in obedientia. ...

c. 25. ... Et revera quos nulla umquam acies, nulla inflexit asperitas, hos huius viri pietas imbelles et timidos faciebat. Consilio namque et bonorum hominum multitudine, non saevitia timendus fuit; et quod nemo hostium tam acriter vigilabat ad pernitiem, quam ipse ad salutem. Fama autem et multitudinis iuditio minimum motus est; suo sibi iudicio usus est, et in quo recta probavit, non ut sibi, set Deo placeret, optavit. Itaque – ut paucis multa comprehendam, plura omittam – intus et foris, domi militiaeque indefessus Domini praeliator, animi plus quam corporis viribus tamdiu contra pestilentes et inquietos tantumque vitae etiam suae plerumque periculo decertavit, ut nominis quoque eius fama, quousque pervenit, bella sedaret, pacem formaret, studium in omnibus bonis artibus firmaret, sanctae religionis et salutiferae quietis gratiam ampliaret.

c. 48. ... Deductus est pastor ab ovibus, dici non potest, quibus lamentis et questibus. Sepultus est in aecclesia beatorum martyrum 14. Kalendas Novembris, ubi usque hodie perspicue monstratur, quantus fuerit in oculis bonorum omnium. Quem postea amiserunt, qualis fuerit, et boni et mali lucidius agnoverunt. Frequentant locum sepulturae eius; certatim memorant, quid fecerit, quid docuerit, qualis vixerit, qualis obierit. Modo pro illo orant, modo, ut ipse pro se orare dignetur, rogant. Signa non quaerunt, vitam adtendunt, doctrinam recolunt; futurum in eo aut sibi aut posteris suis magnum aliquid pollicentur. Denique omnes eius monimentis, sicut olim per vivum, ita nunc per mortuum ad Dei laudem et gloriam excitantur.

7. Continuatio Reginonis.

Reginonis abbatis Prumiensis Chronicon cum continuatione Treverensi recogn. Frid. Kurze, 1890 (SS. R. G.), S. 154–179.

Hucusque Regino. Haec, quae secuntur, nos addidimus.

DCCCCVII. Bawarii cum Ungariis congressi multa cede prostrati sunt; in qua congressione Liutbaldus dux occisus est, cui filius suus Arnolfus in ducatum successit.

DCCCCVIII. Ungarii iterum terminos transgressi Saxoniam et Turingam vastaverunt.

DCCCCVIIII. Ungarii Alamanniam ingressi sunt.

DCCCCX. Franci in confinio Bawariae et Franciae Ungariis congressi miserabiliter aut victi aut fugati sunt. In quo prelio Gebehardus comes interiit, relictis duobus filiis suis adhuc pueris, Udone et Herimanno, qui postea clari et nobiles in Francia extiterunt.

DCCCCXI. Ludowicus rex filius Arnolfi imperatoris obiit; cui Cuonradus filius Cuonradi ab Adalberto occisi regali iam stirpe deficiente in regno successit.

DCCCCXII. Ungarii iterum nullo resistente Franciam et Turingam vastaverunt. Hatho archiepiscopus obiit, vir adeo

strennuus et prudens, cui Herigerus successit. Otto dux Saxonum obiit.

DCCCCXIII. Hiemps magna nimis. Ungarii partes Alamanniae vastaverunt et iuxta In fluvium a Bawariis et Alamannis occisi sunt.

Eodem anno Einhardus episcopus Spirensis a Beranhardo et Cuonrado comitibus caecatus est.

Otbertus Strazburgensis episcopus occiditur.

DCCCCXIIII. Salomon episcopus captus est.

DCCCCXV. Ungarii totam Alamanniam igne et gladio vastaverunt, sed totam Turingam et Saxoniam pervaserunt et usque ad Fuldam monasterium pervenerunt.

DCCCCXVI.

DCCCCLXI. rex natale Domini Radasbona civitate celebravit, ubi Poppo Wirziburgensis episcopus regi percarus XVI. Kal. Martii diem clausit extremum; cui proximus suus Poppo in episcopatu successit.

Libutius priori anno quibusdam dilationibus ab itinere suspensus XV. Kal. Martii anni presentis obiit; cui Adalbertus ex coenobitis sancti Maximini machinatione et consilio Willihelmi archiepiscopi, licet meliora in eum confisus fuerit et nihil umquam in eum deliquerit, peregre mittendus in ordinatione successit. Quem piissimus rex solita sibi misericordia omnibus, quibus indigebat, copiis instructum genti Rugorum honorifice destinavit. ...

962. ... Eodem anno Adalbertus Rugis ordinatus episcopus nihil in his, propter quae missus fuerat, proficere valens et inaniter se fatigatum videns revertitur et quibusdam ex suis in redeundo occisis ipse cum magno labore vix evasit. Et ad regem veniens caritative suscipitur et a Deo amabili Willihelmo archiepiscopo pro retributione tam incommodae ab eo sibi machinatae peregrinationis bonis omnibus et commodis, quasi frater a fratre, amplectitur et sustentatur; missis etiam pro eo ad imperatorem litteris reditum ipsius in palatio operiri iubetur.

[Reginbertus Dei servus obiit: iste construxit abbatiam sancti Blasii in Suevia.] Eodem anno Adalbero venerabilis vir Metensis episcopus obiit; pro quo Theodericus consobrinus inperatoris episcopus subrogatur.

963. ... Interim Iohannes papa promissiones imperatori factas oblivioni tradens ab eo deficit et Berengarii seu Adalberti partibus favens Adalbertum Romam intromittit.

Quas dolositatis eius fraudes imperator audiens relicta circa montem obsidione Romam versus cum hoste pergit; cuius ipsi metuentes adventum plurimum thesaurum sancti Petri rapientes fugae subsidia petunt. Tunc Romani in plura divisi, partim imperatori faventes, — multis enim a predicto papa iniuriis se opprimi conquerebantur, — partim apostolico blandientes, licet diversa sentirent, imperatorem tamen cum honore debito in urbem intromittunt seque per omnia datis obsidibus illius ditioni subiungunt. Imperator vero plurimorum episcoporum collecta multitudine sinodum coadunavit et consilio eorum missa legatione canonica auctoritate aufugam apostolicum ad sedem pontificalem et apostolicam revocavit. Illo tamen hoc omnimodis renuente plebs Romana Leonem protoscriniarium, virum strennuum et industrium, communi consensu in locum eius elegit et ordinavit; cui sinodo interfuerunt omnes prope Romaniae et Italiae episcopi, Angelfredus etiam Aquileiensis patriarcha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit; sed et de nostratibus interfuerunt Adaldagus et Heinricus archiepiscopi, Lantwardus et Otgerus episcopi.

Postea Iohannes, qui et Octavianus, videns se esse depositum, sera poenitentia ductus ab Adalberto disiungitur; Adalbertus vero in Corsicam revertitur. Eodem anno Gard castellum in Italia capitur.

Apud nos quoque Sclavi, qui dicuntur Lusizani subduntur.

DCCCCLXVII. imperator Romae natale Domini celebravit et excepto prefecto urbis, qui aufugerat, XIII ex maioribus Romanorum, qui auctores expulsionis domni Iohannis papae videbantur, suspendio interire iussit. Inde progrediens per Spoletum Ravennam adiit ibique pascha celebrans cum domno Iohanne papa plurimos ibi ex Italia et Romania episcopos coadunavit et habita sinodo multa ad utilitatem sanctae ecclesiae adinvenit et apostolico Iohanni urbem et terram Ravennatium aliaque complura multis retro temporibus Romanis pontificibus ablata reddidit eumque inde Romam cum magna laeticia remisit; ipse vero in partes Tusciae et Lucaniae secessit. ... Nativitate Precursoris et apostolorum festivitate Franconofurd celebrata iter suum acceleraturus in Saxoniam remeavit.

Ea tempestate Asulfus Treverensis abbas presenti vitae subtrahitur; cui Thietfridus successor eligitur. Tunc etiam domnus archiepiscopus Willihelmus aliquantula infirmitate detentus in brevi Deo miserante convaluit. ...

8. Ekkehard IV. von St. Gallen, Casus s. Galli.

Hg. von G. Meyer v. Knonau, 1877 = Mitteil. zur vaterländischen Gesch., hrsg. vom histor. Verein in St. Gallen, N. F. 5 u. 6.

Moniti a loci nostri fratribus id opere precium putantibus, quaedam cenobii sanctorum Galli et Othmari cum infortuniis tradere fortunia, rem arduam aggressi sumus. Enimvero obloquiis patere non dubitamus, quoniam, ut nunc morum et temporum est, si quicquam asperum et maxime quod disciplinae sit, tetigeris, si malorum libertates et impunitates non laudare videberis, velud impostor et calumniator apud eos, qui in levitate ambulant, habeberis. At vero quoniam rerum loco nostro gestarum aetiam alii veritati nihil parcentes fortunia et infortunia, quomodolibet erant, edixerant, temptantes quidem et nos ea, quae a patribus audivimus, ea aviditate, qua illi, quam verissime datum est, stilo et atramento veritatem perstringere, fortunia et infortunia loci nostri, veritati nihil parcentes, edisserere. ... Scripserat ante nos Radpertus homo doctissimus et ipse codicellum similis materiae a sancto Gallo et Othmaro usque ad se ipsum, a quo nos incoepisse videmur Salomonem episcopum, cuius nominis tamen aequivocatiae sit, ut bene cerneret, praemonemus. Nam tres eius nominis cum Constantiae praefuerint, secundum Rathpertus censum a loco nostro exegisse scripsit. De tercio nos, prout Deo dante potuimus, sic incipiemus.

47. Hartmannum post Salomonem privilegio electionis patres acceperant abbatem. De quo quoniam proprium eius sui temporis libellum habemus, plura scribere supersedemus. Erat tamen, ut a patribus audivimus, praeter sapientiae doctrinalem dotem religionis tenacissimus, claustro sepius manens, quae deforis in locis suis agerentur, minus sollicitus, magisque suos habere passus, quam se; quae sibi suppares in manus dare vellent regratiando contentus, solius disciplinae patrum more investitor et severus exactor. Doctrinas vero ita amabat, ut inter scolas et claustrum aut nihil, aut parum intersit. In victu fratrum et vestitu Hartmuoti statuta secutus; maxime autem authenticum antiphonarium docere et melodias Romano more tenere sollicitus, de quo antiphonario altiora repetere operae precium putamus. – Karolus imperator cognomine Magnus cum esset Rome, aecclesias cisalpinas videns Romanae aecclesiae multimodis in cantu, ut et Iohannes scribit, dissonare, rogat papam tunc secundo quidem Adrianum, cum defuncti essent, quos ante Gregorius miserat, ut item mittat

Romanos cantuum gnaros in Franciam. Mittuntur secundum regis peticionem Petrus et Romanus, et cantuum et septem liberalium artium paginis admodum imbuti, Metensem aecclesiam, ut priores, adituri. ...

87. Qualem autem se consiliis Ekkehardi quantumque exhibuerit, pauperes nec non fratrum et familiae pars multa, quam videmus adhuc hodie, quidem interdum cum lacrimis testari solet. Delicatus autem cum esset, ut diximus, episcopi, tunc quidem Chuonradi, iussu carnes edebat. Quod tamen pace novitatis monachorum, qui irritare nunc Deum solent in adinventionibus suis, ut multiplicetur in eis ruina, nequaquam dixerim; quibus tamen licentius erat carnes crudas laniare, quam infanda plura, quae quasi religiosi supersticione quadam scismatica assolent facere. Nimia est, si ausim dicere, varietas vestis aecclesiae, qua scribitur induere, si utrosque, quos dicimus, suo quidem colore in eam dignatur intexere aut deforis, ut interdum solet, polimetare. Relinquamus necesse est Deo soli iudicium suum, cum tamen id audenter et veraci argumento possimus asserere. Si aliqui apud nos in his scismatum tempestatibus caelum, ut vere quidem faciunt, adipisci nituntur, acrius quam in patrum serenitatibus, ut aciem satanae perrumpant, assurgere habent in clipeum, validius torquere spicula, acutius iacere tela. – At Purchardus elemosinas, ut ab infantia solebat, quia nunc copia maior foret, agere nimium laetatus non egenis solum et peregrinis, sed passim tam fratrum, quam familiae palam et clam dispersit, dedit pauperibus. Cumque hoc sedulus dies et noctes agens subnudus interdum domum redisset vel nudipes, camerarius suus Richere, fratris quidem filius, incusabat illum crebro secretius, quasi camera sua dispersiones eius ferre non posset, cum unis distractis semper alia reposceret. Cumque ille aliquando nepotem, ne sibi molestus esset, secretius argueret: Enimvero, ait, si tu non dederis, quae postulo, alium scio – decanum dicens –, qui in quantiscunque poterit, me quidem adiuvabit. Nam ille sepius, quae egenis dem, quam tu, roccos videlicet, et camisias, caligas et calceos et caetera usque ad cingula mihi clam suggerit; sed et sub opertorio lectuli, ut ibi inveniam, abscondit.

124. De Keraldo autem, non minoris materiae viro, quoniam plura non vacat, item quedam, ut, in quantis columnis locus Galli crebro steterit, pateat, interseram. Erat a subdiaconatus sui principio scolarum semper ille magister. Presbyter vero factus, praedicator altissime apertus, etiam episcopis aliquando

praesentibus et iubendo cedentibus populo declamator, et ut apostolus tales vocat, propheta erat mellitissimus. Unde, ut antiquitus loci nostri mos statutus erat, publicus populo nostro etiam presbyter positus est, ut in ecclesia sancti Otmari omnibus, qui inter Coldaham et Sinttriaunum fluvios degunt, sinodica queque preter disiunctiones coniugum pro episcopo faceret. Cuius rei privilegia cum a Iohanne papa cum Salomone episcopo nec non Karolo astipulante habeamus, invidi monachis nunc temporis episcopi vix nobis et nostris halitum relinquentes, ut Salustii verbis utar, nil nobis reliqui facere moliunter, ministrosque odii et invidiae iniustaeque potentiae Holophernicos asciscunt sibi archipresbyteros, qui animas hominum carissime appretiatas vendant, feminas nudatas aquis immergi impudicis oculis curiosi perspiciant aut grandi se pretio redimere cogant. Hos tales quomodo faucibus strangulati vix evaserimus, Purchardum secundam dicturi, plenius scribere habebimus.

9. Wipo.

Wiponis gesta Chuonradi II. ceteraque quae supersunt opera. Ed. altera recogn. Heinricus Bresslau, 1878 (SS. *R .G*).

a) Gesta Chuonradi II. imperatoris.

Epistola ad regem Heinricum Chuonradi imperatoris filium.

Gloriosissimo imperatori, Heinrico tertio regi, ad pacem et bellum idoneo, Wipo Dei gratia presbyter, quod servus regalium servorum huius orbis domino dominantium. Vitam illustrem et inclyta gesta Chuonradi imperatoris, patris tui, domne imperator, scribere oportunum existimavi, ne lucerna lateat sub modio, ne solis radius sit in nubilo, ne virtus memorialis obducatur oblivionis rubigine. Gesta enim illius nisi praeclara et valde lucida praecederent, a sequenti nimio splendore tuarum virtutum viderentur aliquatenus obscurari. Mihi autem servulo tuo is animus est, si Deus annuerit, utriusque acta referre, quae acciderunt me superstite, ita inter vos distinguendo, ut alterum rem publicam, utpote Romanum imperium, salubriter incidisse, alterum eamdem rationabiliter sanavisse veraciter dicam. Quodsi hinc plus vel minus, vel aliter quam se integritas rerum habet, scribo vel dixero, non erit culpa scribentis sed narrantis, quoniam, cum plurimum tempus infirmavi, non potui in capella senioris mei Chuonradi frequenter adesse. De his autem quae ipse vidi et ab

aliis accepi, fructum a nobis colligere volentibus stilo veritatis innixus propalabo. Et quoniam sunt quaedam, quae vivente patre laudabiliter egisti, eadem inter acta patris ponenda censueram; quae vero post obitum illius gloriose feceras, per se ordinanda decrevi. Si vero aliqui calumpniantes obiciunt mihi, hoc opus supervacuum esse, cum et alii de eadem re scripserint, licet inde nondum aliquid scriptum vidissem, respondebo: 'In ore duorum vel trium stabit omne testimonium': et verba Christi in evangelio non per unum solum, sed per quatuor testes idoneos in ecclesia dilatari. Tibi, summe imperator, hoc opus devoveo, tibi gesta patris repraesento, ut, quotiens ipse res clarissimas agere mediteris, prius paternas virtutes velut in speculo imagineris, et illud in te floreat abundantius, quod hereditasti a patriis radicibus, qui, ut cunctos antecessores tuos in quibusdam divinis et mundanis rebus superasti, ita regnum et imperium tuum diuturnius omnibus illis, favente Deo omnipotente, merearis obtinere. Vale.

Prologus. ... Nos autem, a quibus sermo Veritatis eliminavit torporem taciturnitatis, dicens: 'Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta', cur principibus christianis et euangelicae fidei assertoribus sustinemus negari, quod suis ultro offerunt pagani? Si enim nostri catholici reges, verae fidei defensores, legem ac pacem Christi, quam nobis per euangelium suum tradidit, sine periculo erroris gubernant, qui eorum benefacta scriptis suis manifestabunt, quid aliud quam euangelium Christi praedicabunt? Quamvis animus scribentis vacillet aggredi arduas res, maturo consilio, morali gravitate, summa constantia peractas, et si inepto luxu vel ficta audacia aut cupiditate flagitiosa fiant res, in quibus cunctis scriptorem oportet versari: et in actis eorum, quos notat, vulganda sunt tam gesta quam omissa, prout facultas ingenii dederit, ex qua re boni ad virtutem incitantur, mali autem honesta invectione corriguntur. Illa igitur est causa scribendi, quod nulla vetat religio, et commendat intentio, et proderit patriae, et bene dictio conducit posteritati. Quod praeterit, in promptu est; quicquid autem futurum est, non est in praenotione. Qua re atque spe adductus, scribere volui ad communem utilitatem legentium, quod audientibus esset iucundum. Nam si quid in his, quod honestum sit, afferatur, in potestate lectoris ad imitandum erit in propatulo. Quod etiam facio meo provectu, ut qui, multis prementibus vitiis corpus, excitante Deo, otiositatem, velut animae inimicam, his occupatus negotiis vitare

valeam. Siquidem cum de publicis gestis paratus sum dicere, praecipue duorum acta regum complectar, scilicet Chuonradi imperatoris atque filii eius regis Heinrici tertii, quem Heinricum Lineam Iustitiae cuncti pene prudentiores cognominant. Patris vero gesta quae meis temporibus acciderant, prout ipse vidi aut relatu aliorum didici, calamis pingentibus, ignaris successoribus effigiabo. Acta autem clarissima filii, quoniam adhuc Dei gratia superstes regnat, quam diu vixero, congregare non desinam. ...

6. De itinere regis per regna.

... Collecto regali comitatu, rex Chuonradus primum per regionem Ribuariorum usque ad locum qui dicitur Aquisgrani palatium pervenit, ubi publicus thronus regalis ab antiquis regibus et a Carolo praecipue locatus, totius regni archisolium habetur. Quo sedens, excellentissime rem publicam ordinavit, ibique publico placito et generali concilio habito, divina et humana iura utiliter distribuebat. Fama eius vires de virtutibus sumpsit; hodie quam heri pro tenore pacis praestantior, pro benevolentiae gratia karior, pro regali censura honoratior habitus est ab omnibus. Quamquam enim litteras ignoraret, tamen omnem clerum cum amabiliter et liberaliter palam, tum convenienti disciplina secreto prudenter instituit. Militum vero animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit. Praeterea in donariis frequentibus, quibus eos fortia audere coegit, sui similem in toto mundo non posse reperiri aestimaverunt. Suspiciosum est relatu, quam munificus fuit, quam iucundus, quam constantis animi, quantum imperterriti, bonis omnibus blandus, malis severus, in cives benignus, in hostes acerbus, in rebus agendis efficax; quam maximo usui fore regno infatigabilis erat, in brevi tantum proficiens, ut nemo dubitaret, post Caroli Magni tempora aliquem regali sede digniorem non vixisse. Unde extat proverbium: Sella Chuonradi habet ascensoria Caroli. De hoc proverbio quidam de nostris in libello, quem Gallinarium vocavit, satira quarta protulit hunc versum:

Chuonradus Caroli premit ascensoria regis.
Talibus indiciis nomen seu gloria regis

gentium regiones transcendit, marinos fluctus transnatavit; passim divulgabatur virtus, quae inexhausto vigore semper manabat. ...

8. Quod rex Chuonradus Basileae episcopum constituit.

Basilea civitas sita est in quodam triviali confinio, id est Burgundiae, Alamanniae et Franciae; ipsa vero civitas ad Burgundiam pertinet. Hanc civitatem invenit rex vacuatam episcopo, cuius provisor Adalbero ante tres menses, quam rex veniret, migravit a saeculo. Ibi simoniaca heresis subito apparuit, et cito evanuit. Nam dum rex et regina a quodam clerico, nobili viro nomine Uodalrico, qui ibi tunc episcopus effectus est, immensam pecuniam pro episcopatu susciperent, postea rex in poenitentia motus, voto se obligavit pro aliquo episcopatu vel abbatia nullam pecuniam amplius accipere, in quo voto pene bene permansit. Sed filius eius tertius Heinricus, qui postea rex et augustus effectus est, optime et sine omni scrupulo patrium votum expiavit, quia in omni vita sua pro omnibus dignitatibus ecclesiasticis unius oboli precium non dicitur adhuc accepisse. ...

33. ... Multum enim laboravit Chuonradus imperator prius et tum in gente Sclavorum; unde quidam de nostris quoddam breviarium versifice fecit, quod postea imperatori praesentavit. Ibi legitur, qualiter imperator interdum in paludibus usque femora stabat, pugnans ipse et exhortans milites ut pugnarent, et victis paganis nimis acriter trucidabat eos pro quadam superstitione illorum nefandissima. Nam fertur, ut quodam tempore effigiem ligneam crucifixi domini nostri Iesu Christi scelerato ludibrio habuissent pagani, et in eam spuerent atque colaphis caederent; ad extremum oculos eruebant, manus et pedes truncabant. Haec ulciscens imperator, de captis paganis maximam multitudinem pro una effigie Christi simili modo truncavit et varia morte delevit. Idcirco in eisdem versibus caesar ultor fidei vocatur, et Romanis principibus Tito et Vespasiano comparatur, qui in ultionem Domini triginta Iudaeos pro uno nummo commutaverant, cum Iudaei Christum pro totidem denariis vendiderint. ...

b) Tetralogus.

Musae.

Principio Regi benedicimus omnipotenti,
Qui caput est regum, quo gloria crescit eorum,
Qui Pater in Nato pariter cum Pneumate sancto
Lege sub aeterna dominus regnabit et ultra;
Hunc pie laudemus, nam summam laudis habemus; 15

Hoc habeat munus, qui regnat trinus et unus.
At rex noster homo, ditatus perpete dono,
Tertius Heinricus, virtutum regnat amicus,
Alter post Christum regit orbem circiter istum.
Ipsum laudemus, nam causas laudis habemus.

Carmen legis pro laude regis.

...
Quin aliud dicam tibi rex ego consiliatrix,
Lex tua; ne renuas post dictum commemorare.
Cum Deus omnipotens tibi totum fregerit orbem,
Et iuga praecepti non audet temnere quisquam,
Pacatusque silet firmato foedere mundus,
Cumque per imperium tua iussa volatile verbum
Edocet, augusti de claro nomine scriptum:
Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet ut dives sibi natos instruat omnes
Litterulis, legemque suam persuadeat illis,
Ut, cum principibus placitandi venerit usus,
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
Moribus his dudum vivebat Roma decenter,
His studiis tantos potuit vincire tyrannos;
Hoc servant Itali post prima crepundia cuncti,
Et sudare scolis mandatur tota iuventus:
Solis Teutonicis vacuum vel turpe videtur,
Ut doceant aliquem, nisi clericus accipiatur.
Sed, rex docte, iube cunctos per regna doceri,
Ut tecum regnet sapientia partibus istis.

10. Annales Altahenses maiores.

Ex recensione W. de Giesebrecht et Edm. L. B. ab Oefele, ed. altera recogn. Oefele, 1891 (SS. R. G.).

983. Inter Sclavos et Saxones seditio, Sclavis Saxones persequentibus, ecclesias, caenobia multasque urbes destruentibus. Boppo Wirzpurgensis episcopus obiit, successit Hugo. Otdo imperator dissenteria Romae VI. Idus Decembris perit, in templo sancti Petri sepelitur.

984. Otdo, filiolus Otdonis, fit rex in die natali Domini. Gozpertus abbas deponitur, succedit Berenharius electione.

985. Chunradus comes Alemaniam sibi vendicat. Saxones Sclaviam vastant.

986. Oddo rex puer cum magno exercitu Sclaviam vastat et ibi Misaconem obvium habuit cum exercitu et muneribus.

987. Iterum Saxones coegerunt ipsos Sclavos ad deditionem.

988. Aestatis fervor nimius.

989. Henricus dux Karintanorum obiit. Theophana imperatrix Romam perrexit, omnem regionem illam imperatori subdidit.

990. Erchanpertus fit abbas. Regularis vita in Altahensi monasterio restauratur. Eclypsis solis.

991. Gotehardus diaconus monachus fit. Ignis de Rheno ascendit, villas prope ripam consumpsit.

992. Theophana imperatrix obiit. Oddo rex Brandaburg obsedit.

994. Sanctus Wolfkangus episcopus obiit, cui Gebehardus successit. Filii Henrici comitis, Henricus, Udo, Sigefridus, contra pyratas navali proelio pugnabant, ex quibus Udo interfectus, alii duo capti, Henricus autem, filio et militibus obsidibus datis, pro colligenda pecunia, qua redimerentur, dimittitur. Sigifridus vero clam nocte aufugit, unde illi irati obsides truncatos reiecerunt.

1048. Natale Christi imperator feriavit Pholide. Eo venerunt Romanorum nuncii, episcopum Brixinae sibi papam petunt, qui mox eligitur, ut petivere, iuxta consensum totius senatus principum. Cum ipsis legatis episcopi quidam Romam dimittuntur, qui papam deducunt. Hic post modicum obiit, pro eo Brun est electus. Hartwico ibi cancellario dat episcopatum Babinbergensem, ac proficiscens inde Ebboni abbatiam Fuldensem. Ita disposuit seriem itionis, ut pascha Radasbonae celebraret. Ebbo patriarcha obiit. Modicum vini. Plaga crudelis in homines grassata; mures enim consumpsere fruges terrae. Terrae motus IIII. Id. Octobris. Autumno comes Diotmarus Saxo, maiestatis reus ac proscriptus, ab Arnoldo pridem milite suo singulari certamine victus, eisdem vulneribus occubuit.

1068. Nativitatem dominicam rex peregit in Goslare et post haec Augustam venit in purificatione Mariae, paratus inde in Italiam transire. Sed cum regni principibus laboriosum videretur simul ire, facile persuaserunt regi, pueriliter utpute multa consideranti, in Saxoniam redire et pro se legatos in Italiam transmittere. Mittuntur igitur Anno Coloniensis archiepiscopus, Henricus Tridentinus, Otto dux Baioaricus. Hi ergo cum Ravennam venissent, civitatis illius pontificis usi sunt confabulatione et convivio, nec etiam devitabant Parmensem episcopum, sese adeuntem alio in loco, quos utros-

que Alexander papa ligaverat anathematis vinculo. Ob hanc igitur causam noluit eos videre, cum Romam venissent, videlicet quia excommunicatis a se communicassent. Sed quia scriptum est: *Corripe sapientem et diliget te*, citius reconciliari meruere humillima satisfactione, tandemque audita eorum legatione post paucos dies dimissis illis, mandat regi, quae voluit. Ipse vero more solito post albas sinodum episcoporum habuit. ... Episcopi autem, regii nuntii, Roma digressi, confestim ad propria sunt reversi. Solus Otto dux substitit in Italia, quasi cum principibus terrae regni illius tractaturus negotia. Huius rei gratia obviam ei venit cum magna multitudine Italorum dux Gotefridus in urbis Placentinae campestribus. Cum ergo consedissent, et res aliqua agi cepta fuisset, Itali, sua superbia elati et velut natali odio Teutonicum ducem audire dedignati, incondito clamore cuncta coeperunt turbare et nullo perfecto negotio ducem compulerunt abire. Fuere tamen, qui iam tunc inciperent suspicari et dicere, quoniam vir ille regi non esset fidelis perfectę et idcirco in Italia mansisset, si vel ducem Gotefridum vel alium aliquem socium consilii sui posset adsciscere. ...

1071. ... Hoc anno archiepiscopus Mediolanensis episcopatum sponte sua dimisit et monachicum habitum conversationemque assumpsit. Mox igitur quidam ex clericis ipsius pro episcopatu rogaturus regem adiit, mille libras se daturum iuravit et pontificatu suscepto rediit. Mediolanenses autem audientes, haec taliter acta esse, nullo modo consenserunt, illum urbe recipere. Alexander autem papa, ut haec agnovit, utrosque illos anathematizavit, illum quidem, quia semel susceptum regnum pontificatus deposuit se nesciente, hunc autem, quia seniore suo vivente et per heresim symoniacam hoc ausus fuerat usurpare. Et quoniam ad haec venimus, nemini, quaeso, odiosum sit, aperire nos paucis, qualiter eodem anno saepe confutata sit ipsa heresis. ... Quando abbas Augiensis obiit, episcopus Hildenesheimensis magnam pecuniae quantitatem regi dedit et eandem abbatiam consanguineo suo, abbati de Hildenesheim, Sigiberto nomine, dari impetravit, quam cum ille per aliquot tempus tenuisset et cuidam in confessione, qualiter sibi in potestatem obvenerit, manifestasset, audivit ab eo, in huiusmodi reatu nullam confessionem vel indulgentiam fieri posse, nisi homo id, quod suscepisset iniuste, adhuc in carne vivens dimittere festinaverit sua sponte et iuste. 'Quam', inquit, 'pro hoc peccato remissionem poterit quis sperare, quod nec in die exitus sui vult a se separare?'

Hoc ille audiens, opportunitatem cepit inquirere, ut eandem abbatiam honeste posset dimittere. Inter haec extitit quidam Luitpoldus, familiaris regi, qui cepit regem precari, ut de eadem abbatia curtem unam in beneficium sibi iuberet dari. Hoc igitur rege praecipiente sub obtentu gratiae suae, venerabilis ille vir, nactus, quam quaerebat, occasionem ultra noluit dissimulare, sed: 'Ecce', inquit ad regem, 'paratus sum ipsam abbatiam prius ex integro relinquere, quam ob vestri gratiam Deum et sanctam Mariam offendere.' Et hoc dicens virgam pastoralem regi reddidit, ipseque ad priorem suam abbatiam in Hildenesheim rediit. Nec diu post idem tempus Luitpoldus letabatur, quia res sanctae Mariae inquietare moliebatur. Nam in praesentia regis cum iter ageret, equo expavescente cecidit, et gladio proprio confossus interiit. Cum autem abbatis praedicti gesta in ore multorum versarentur et ab omnibus, qui audierant, laudarentur, quidam Ruodpertus, abbas de monasterio sancti Michaelis, triginta libras auri, ut ferunt, regi obtulit et eandem Augiensem abbatiam emit. Quod cum fratres et milites eiusdem loci agnovissent et a rege exinde iustitiam habere non possent, missa legatione auribus domini apostolici hoc insinuavere. Qui, ut erat strenuus in rebus ecclesiasticis, litteras mox direxit et eidem abbati ministerium sacri altaris interdixit; cuius praecepto cum nollet obedire, milites eiusdem monasterii eum exinde fugavere. Haec autem Deo teste non scribimus studio detrahendi, sed quia confidimus hoc aliquibus fore ad exemplum cavendi, ne quis deceptus frivola spe huius mundanae exaltationis et sibi per heresim Deo odibilem mercetur intollerabile dedecus turpissimae deiectionis et in futuro penas perpetuae dampnationis. Hoc autumno, dum haec aguntur, regina filium genuit, qui in albis vita decessit.

1073. Natale Domini rex in Babenberg celebravit. Quo anno Alexander papa ex hac luce migravit, pro quo Romani constituerunt Hildebrandum, eiusdem Romanae ecclesiae archidiaconum, quem consecrantes nominaverunt Gregorium. Diem palmarum rex in Eihstatti celebravit, ubi et Ruodolpho et Berhtoldo ducibus gratiam suam reddidit. Agnum vero pascalem Ratisbonae victimavit, in festo pentecostes apud Augustam colloquium principum habuit, moxque se in Saxoniam recepit. Captus etenim nescimus qua locorum dilectione, in silva, quae Harz dicitur, urbes multas iam dudum ceperat edificare. Sed quia in vicino ipsarum urbium praedia pauca vel nulla habebat, illi, qui civitates custodiebant, propter in-

opiam victualium praedas semper faciebant de substanciis provincialium. Si quis vero curtem adisset haec lamentari, contumeliis affectus videbatur expelli. Cumque malum hoc cresceret de die in diem, et rex in Goslare ageret principis apostolorum festivitatem, plures Saxonici principes illo devenere, si finem his malis possent impetrare. Qui post aliquot dies, vix intromissi ad regis praesentiam causaque dicta, sine honore et certo responso regrediuntur ad propria. Mox igitur crebra conventicula faciebant et, quid de malis hiis agerent, anxie tractabant. Tandem ergo convenit illis, minis et rebus bellicis res suas potius agere, quam leges patrias libertatemque propriam tam irrationabiliter amittere. ...

11. Annales Hildesheimenses.

Contulit cum codice Parisiensi Georgius Waitz, 1878 (SS. R. G.).

Incipit liber de ordine temporum.

Brevem temporum per generationes et regna primus ex nostris Iulius Africanus sub imperatore Marco Aurelio Antonino simplici historie stilo elicuit. Dehinc Eusebius Caesariensis adque sanctae memoriae Hieronimus cronicorum canonum multiplicem historiam regnis simul ac temporibus ordinatam. Post hos alii adque alii, inter quos precipue Victor Africanus Tonnonensis ecclesie episcopus recensitis predictorum historiis gesta etatum sequentium usque ad consolatum Iustini iuniuoris explevit. Horum nos temporum summa ab exordio mundi usque ad augusti Eraclii imperium quanta potuimus brevitate notavimus, adicientes e latere lineam annorum, cuius indicio summa preteritorum temporum cognoscatur. ...

956. Ruodbertus Trevericus archiepiscopus et Hadamarus abba Fuldensis coenobii obierunt; quibus Heinricus episcopus et Hatto abba successerunt. In eodem anno Liudulfus, filius regis, perrexit in Italiam eamque subegit imperio suo.

957. Liudulfus in Italia mortuus est, et inde ad Mogontiam transportatus et ad Sanctum Albanum est sepultus.

958. Signum crucis in vestimentis hominum apparuit, illis qui derisui illud habebant mortem inferens; illis autem qui pie et religiose illud venerabant nihil mali intulit.

959. Hagono abba reliquit dominium sui honoris. ...

961. Isto anno venerunt nuncii ad regem Ottonem et vocaverunt eum Romam in adiutorium Iohannis papae, ut mitigaret severitatem Adalberti regis, quam exercuit super monarchiam. Illeque apostolicus gratanter eum suscepit et honorifice collocavit super cathedram augustalis principatus, auxitque super eum augustalem benedictionem, ut imperator augustus vocaretur et esset.

962. Guntheri abba obiit; cui successit Egillolfus. ...

997. Papa Ticini adunato complurium episcoporum concilio, prefatum Crescentium anathemate perculit. Interea Iohannes Placentinus episcopus Constantinopoli remeans, Romam intromissus, apostolicam sedem factione Crescentii invaserat; unde ab universis episcopis Italiae, Germaniae, Franciae et Gallie excommunicatur. Imperator quoque, ut Romanorum sentinam purgaret, Italiam perrexit, summa rerum dominae Mahtildae, amite suae, Quidilingaburgensi abbatissae, delegata; in qua ultra sexum mira prudentia enituit.

---

998. Predictus invasor Iohannes ab imperatore, cecatus et naso truncatus, deponitur, et Crescentius decollatus cum 12 suis ante ... Urbem suspenditur.

Ind. 2, 1080. Apud Brixinam Noricam 30 episcoporum magnaeque partis optimatum regni conventus contra Hildibrandum habetur. Bellum iuxta Elstret committitur Id. Octob.; in quo Rŏdolfus rex, qui et dux, occiditur.

Ind. 3, 1081. Heinricus rex Romam obsedit. Bellum inter Liupoldum marchionem et Cŏnradum, fratrem ducis Boemiae, 4. Id. Maii. Item bellum inter Suevos et Baioarios iuxta Danubium loco qui vocatur Hohstetin 3. Idus Aug. Heinricus rex natus est, iunior *filius*.

Ind. 4, 1082. Herimannus regnum invadit.

Ind. 5, 1083. Roma capta est a Heinrico rege, et pestilentia magna facta est. Herimannus, qui regnum invaserat, orientalem Franciam hostiliter ingreditur. ...

Ind. 4, 1097. Imperator de Italia rediit. Cŏnradus patri suo Heinrico rebellat; et ob hanc iniuriam iuniori filio suo regnum iniungit. ...

Ind. 8, 1101. Imperator natalem Domini apud Mogontiam celebravit; ubi multi principes convenerunt et consilium imperatori dederunt, ut Romam mitteret nuntios propter unitatem aecclesiae, et papam constituere secundum electionem Romanorum et omnium aecclesiarum. ...

Ind. 9, 1102. Imperator natalem Domini Mogontiae celebravit; ubi Heinricus comes de Lintburch dux effectus est.

Ind. 10, 1103. Imperator natalem Domini Mogontie celebravit; ubi principes convenerunt; et in epyphania Domini Emehardus Wirceburgensis episcopus apud Sanctum Marti-

num missam cantavit; et inter missarum sollempnia, quando episcopus populum monebat, imperator quasi corde compunctus Deo promittebat pro delictis suis Hierosolimam pergere, sicque optimates regni decipiebat.

Cumque principes ad eius curiam sepe convenirent, nihil de re publica agebant, preter quod sua ibi consummarent; propterea secum ficta fide versabantur et adversus eum conspirabant; sicque omnes regni principes decipiebat, ut nihil rerum veritatis in re publica ageret, nisi quod suis temporibus cuncta vilescerent. Multae urbes et oppida eius bello sunt destructae, et aecclesiarum Dei erat raptor, scilicet causa reconciliandi principes illarum predia distribuendo. Quid multa? Nemo umquam talia in antiquis voluminibus repperit scripta, qualia inaudita perpetrarat facinora; et nisi mira Dei clementia eum sufferret et ad poenitentiam distulisset, terra eum vivum sicut Dathan obsorbuisset. ...

12. Vita Bennonis II. episcopi Osnabrugensis auctore Nortberto abbate Iburgensi.

Recogn. Henricus Bresslau, 1902 (SS. *R. G.*).

Incipit praefatio in vitam Bennonis episcopi Osnabrugensis, fundatoris nostri monasterii.

Multorum saepe negligentia accidisse videmus, ut res suo tempore gestas et certe memoria dignas ita silentio praeteriisse passi sint, ut eorum, qui res praeclare gesserunt, nulla sit posteris transmissa memoria. Quod nos, qui auctore Deo in hoc Iburgensi monasterio Christo militamus, de venerabili patrono nostro Osnabrugensi episcopo Bennone secundo omnino vitare cupientes, ita eum successoribus nostris, qui divino mancipati servitio hunc forte locum sunt habitaturi, intimare satagimus, ut de vita moribus gestisque eius pauca perstringentes et multiloquio pro penuria scientiae sermonisque vilitate parcentes id maxime intendisse cernamur, quatenus ipse fundator noster et structor tantum assidue in loco hoc iuvetur orando, ut se spei suae solatio iniuste destitui Deo conqueri iuste non possit. Ut enim ipse nobiscum saepe familiarius loquens adicere iocando solebat, omni die de nostrae servitutis impensa vita defunctus prandium sibi expectare debebit, oratione videlicet animam pasci; et quod ipse, utpote innumeris secularium tumultuum, quos hoc in tempore debachari videmus, negotiis praepeditus, in Dei opere minus implevit, totum id sibi Deo hic per se congregatos iustissime recompensare sperabat. Quamvis enim more eorum, qui agones martyrum seu vitas scripsere sanctorum, miraculorum signa et virtutum insignia de eo referre non possimus, pleraque tamen bene vivere studentibus imitanda eius facta dicemus, quae suo ordine et loco, prout memoriae occurrerint, plenius inserenda ponentur. Sed, ut iam nos praemisisse recolimus, non eo huius opusculi spectat intentio, ut vita eius exteris gentibus nostrae narrationis ambitu descripta clarescat; sed intra monasterium hoc commanentium lectione contenti ...

c. 2. Sed et inter ipsa tenerae rudimenta infantiae incredibile forte est dictu, quanta in ipsius facie puerili futurae gratiae quodammodo dignitas, elucere coepisset, ut vultus alacritas quiddam videretur spondere praesagii, se gratia videlicet, qua fuerat parentibus datus, ad altiora quandoque eadem vocante scansurum ...

c. 8 (10). ... Porro in solutione reddituum, quos annua deposcit exactio, manifestum est illum fuisse acerrimum, ita ut plerumque verberibus affectos debitum suum rusticos persolvere compulisset; quod ei profecto facile indulserit et pro summa necessitate fuisse concesserit, quicunque huius terrae homines norit, eorum durissimam infidelitatis et versutiae cogitur tolerare nequitiam. Si qua vero de eius moribus referimus, quae quibusdam fortasse videantur in reprehensione ponenda, in sugillationem eius nihil nos narrare confidimus; sed rei veritatem prout novimus exequentes eo intendimus, ut, quo ipse perfectionis minus habuisse dinoscitur, a legentibus haec pro eo studiosius oretur. Nec enim imitanda hic videtur quorundam magis temeraria quam religiosa assentatio, qui in eorum, quos describunt, tantummodo laude versantur et non tam, quid egerint, attendere videntur, quam quid egisse debuerint, quasi non sacra scriptura summos viros et Deo carissimos nonnulla reprehensibilia commisisse demonstraret. Itaque non eum verbis sanctificare contendimus, quod utinam actibus ipse fecisset; sed eius vitam sine fuco propter supra dictam causam absque exceptione depromimus. ...

c. 17 (21). Verumtamen episcopus noster omni semper prudentiae circumspectione contectus uno permoveri scrupulo videbatur, quod videlicet nondum congruenter papae esset auctoritate firmatum. Et quamvis eo tempore graves inter regem et apostolicum Hildebrandum, qui alio nomine Gregorius dicebatur, inimicitiae ferebantur, accepta tamen a rege licentia

Romam profectus, papam illum adiit, et quicquid super decimationis illius recognitione statuerat, apostolici illius assensus et auctoritas Romana firmabat. Tanto enim se toto illo turbine bellorum prudentiae veritatis et fidei utrobique moderatione librabat, ut in utraque semper ei parte sine suspicione et timore conversari liceret; nec rex unquam, quamvis inter hostes suos eum manere videret, de eius fidelitate ambigeret, nec hi, quamvis regi fidelissimum esse non dubitarent, insidias unquam de eius fraude timerent. ...

13. Annales Patherbrunnenses.

A. P., eine verlorene Quellenschrift des 12. Jahrh. aus Bruchstücken wiederhergestellt von Paul Scheffer-Boichorst, 1870.

1118. Domnus papa Paschalis feliciter ad dominum migravit. (cf. C.* G.) Successor ei elegitur Iohannes, ipsius ante cancellarius, qui et Gelasius dictus est. (C. C.* H.) Imperator vero alium subrogat, Bracarensem scilicet episcopum, quem etiam Gregorium vocant. Quo facto Iohannes electus apostolicus Beneventum secedit; imperatorem cum idolo suo — hoc enim nomine, quem ipse substituit, vocatus est — omnesque huic parti consentientes excommunicavit. (C. H. cf. G.)

Burghardus Monasteriensis episcopus Constantinopolim ab imperatore directus, in itinere, quo rediit, mortuus est. (C. cf. G.)

Cuono Praenestinus episcopus a domno Paschali missus et, eo mortuo, a successore suo quem diximus Gelasio ad officium sibi iniunctum per episcopum Vivariensem, virum literis adprime eruditum, corroboratus Coloniam venit ibique sinodum, convenientibus ad eum aliquibus Saxoniae episcopis, (C. cf. C.* P. G.) puta Magetheburgensi, Patherbrunnensi, Halverstadensi, in festo rogationum celebrat. Deinde cum iisdem Fridislariam se transtulit et, adiunctis sibi Magontino et Coloniensi, Traiectensi, Monasteriensi, Osnabrugensi, Cicensi, Merseburgensi et Spirensi episcopis, ibidem concilium celebrat et imperatorem cum idolo suo et omnibus sibi adhaerentibus excommunicat. (G. cf. P.) ...

1125. Imperator Traiecti infra hebdomadam pentecosten obiit; corpus eius Spirae humandum deportatur. (C. C.* H.)

In festo sancti Bartholomaei apostoli omnes totius imperii principes Magontiae conveniunt. Ibi episcopi, duces, marchiones, comites — omnes unanimiter ducem Saxoniae Liutgerum sive Lotharium in regem eligunt, (cf. H. P.) virum iam

inde ab adolescentia in bellis experientissimum et in victoriis frequentissimum. Quocunque enim se verterat, speciali quodam fato, quo Iulius Caesar usus vincebat. (C. S. cf. P.) Ut enim de aliis proeliis taceam, quae deo favente gloriose gessit, Heinrico imperatori hostiliter Saxoniam invadenti in loco qui dicitur Welpesholt viriliter occurrit eumque vincendo fugavit. Item in Sculenburg imperatorem praedictum castrum obsidentem obsedit et ab obsidione discedere compulit, castroque militibus et victualibus repleto victor rediit. (S.) Et quoniam aecclesiae studiosus defensor erat, (C. S.) 89 loco ab Augusto rex effectus, Coloniae ab eiusdem sedis archiepiscopo Fritherico in regem una cum domna Richeza coniuge sua consecratur. (C. cf. S. C.*)

Igitur rex Liutgerus electus et consecratus versus Baioariam tendit (S.) et apud Ratisponam regio more excipitur; rebus ibi rite dispositis remeat. (C. S.)

1137. ... Imperator rebus in Italia compositis, (C. C.* H. P.) cum iam repatriare disponit, (C. C.*) in ipso itinere, (C. C.* H. P.) tam senio quam infirmitate gravatus, (C. C.*) 2 non. decemb. obiit. (C. C.* H.)

Huius regis tempora iocunda fuere. Nam bona aeris temperie, omnigena terrae fertilitate, cunctarum rerum copia non solum per regnum, set et paene per totum mundum exuberabat. (C. C.* S.) Hic pace affluebat, concordia regnabat, moderatione fulgebat; — pace belloque clarissimus erat. (C. C.*) Merito a nobis nostrisque posteris 'pater patriae' appellatur: quia erat egregius defensor et fortissimus propugnatur, nichili pendens vitam suam contra omnia adversa propter iustitiam opponere. Et ut magnificentius de eo dicamus, in diebus eius populus terrae principem terrae non pertimuit (C. C.* S.) nec violentorum manibus subiacuit. (C. C.*) Unusquisque enim sua liberaliter pacificeque possidebat. (C. C.* S.) Ergo pro pacificis erga dei aecclesiam ab eo gestis optamus, ut alta pace in domino quiescat et aeterna beatitudine perfruatur. (C.)

Corpus eius, delatum in patriam, sepelitur regio more in haereditate paterna, (cf. P.) in loco qui dicitur Liutheron. (C. C.* H. S.)

1138. ... Cuonradus Suevus, frater Fritherici ducis, aliquando, ut supra dictum est, usurpator regii nominis, latenter primum levatus est in regem, factione Athelberonis Treverensis archiepiscopi et paucorum principum, (C. S.) Confluentiae feria secunda dominicae Oculi mei; successitque

provectus in regnum Romanorum, a Thietwino cardinali episcopo consecratus, (S.) [90. loco ab Augusto.] Ad huius tamen negotii honorem multorum magnorum principum consensus est minime requisitus. (S.)

Qui Cuonradus regalia, quae Heinricus dux Baioariorum, qui et dux Saxonum, gener Lotharii imperatoris, sub se habuit (cf. C.* P.) callide acquisivit et eundem ducatu Saxoniae privare voluit, dato eodem Athelberto marchioni. (C. C.* S.)

Hinc caedes, rapinae, incendia per totam Saxoniam facta sunt. ...

1140. Rex urbem Welphonis, ducis Baioariorum, Winesberg dictam, obsedit. (C. C.* P.) Dux autem congregato exercitu, super regem, uti sperabat negligentius agentem, meditabatur irruere. Hoc ille postquam rescivit, illico post fratrem suum, ducem Frithericum, a se paulo ante profectum misit et, quos in vicino poterat attingere collectis, hostium opperiebatur adventum. Mane diei sequentis ipse propria incendit tabernacula et, venientibus hostibus obviam factus, cum paucis sese certamini fiducialiter dedit; in quo non segniter agens, magnificum ex adversariis triumphum cepit. Interfectis namque multis, plures fugae remedium quaerentes fluvius Necker, iuxta quem congressi fuerant, absorbuit, nonnullis praeter hos captis. Rex vero, demum voti compos effectus, urbem (P.) in deditionem accepit, (P. C. C.*) matronis ac caeteris feminis ibi repertis hac regali liberalitate licentia concessa, ut quaeque humeris valerent deportarent. Quae tam fidei maritorum, quam sospitati caeterorum consulentes, obmissa supellectili descendebant, viros humeris portantes. Duci vero Fritherico, ne talia fierent, contradicente, rex favens subdolositati feminarum dixit, regium verbum non decere immutari.

14. Herimanni Augiensis Chronicon.

SS. 5, S. 67–133.

Anno 42. Octaviani Augusti Caesaris, ex quo autem Aegiptus in provintiam redacta est et Cleopatra cum Antonio victa 28. anno, ab Urbe vero condita 752. olimpiadis 193. anno 3. dominus noster Iesus Christus in Bethleem Iudae nascitur, transactis ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem annis 3952, secundum septuaginta interpretes vero 5199.

3. Infantes pro Domino trucidantur ab Herode.

5. Asinius Pollio orator moritur.

6. Herodes rex Iudeae cum magno cruciatu moritur. Pro quo Archelaus regnavit annis 9.

7. Fames magna Romae facta est.

9. Tiberius Caesar Dalmatas Sarmatasque subegit.

12. Iani portae 12 annis iam ab Augusto clausae aperiuntur.

13. Messala Corvinus orator moritur.

14. Eclipsis solis facta est.

15. Archelaus in Viennam Galliae urbem ab Augusto relegatur, et Augustus moritur anno aetatis 76. imperii 56. Pro quo Tiberius regnat annis 23.

16. Herodes tetrarcha Iudeorum regnum tenuit annis 24. Tiberius privignus Augusti regnavit annis 23.

17. Mathematici Urbe pelluntur.

18. Livius historiographus moritur. Ovidius poeta in exilio moritur.

19. Germanicus a Tiberio missus Germanos vicit.

20. Tredecim urbes terrae motu corruerunt.

21. Fenestella historiografus et poeta moritur.

22. Tiberius multos reges ad se vocatos dolo numquam remisit.

23. Pompei theatrum incensum est.

24. Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.

27. Pilatus praeses Iudeae a Tiberio mittitur.

30. Dominus Iesus Christus a Iohanne baptizatur 30. anno aetatis suae secundum carnem inchoante, et praedicare coepit.

---

784. Iunior Karolus, a patre in Saxoniam missus, Westfalos praelio vicit et domuit. Apud Sanctum Gallum Werdo abbas praefuit annos 25.

785. Widikind Saxo ad deditionem Karolo veniens, baptizatus est, et tota Saxonia subacta est. Coniuratio orientalium Francorum contra Karolum orta et compressa est.

786. Karolus, misso per Autulfum exercitu, Britones domuit, et ipse Romam orandi gratia adiit. Auctores coniurationis contra Karolum diversis poenis multantur. Lullo Mogontiensi archiepiscopo Richulfus successit annis ... Augiae post Petrum Waldo abbas octavus praefuit annis 20.

787. Karolus Beneventum petens, obsides accepit. Rouddrud, filia eius, Constantino imperatori desponsatur. Eclipsis solis 15. Kal. Octobris.

788. Tassilo dux Baioariae, infidelitatis et periurii convictus, a Karolo ducatu privatur. Grecorum exercitus a Francis et Italis vincitur. Item Huni, qui et Avares, a Karoli vincuntur exercitu.

---

965. Otto imperator natalem Domini item Papiae manens, indeque per montem Cenerum de Italia rediens, octavam aepiphaniae Curiae egit. Burghardus vero dux Suevorum Italiam hostiliter invadens, Adalpertum pugna victum fugavit, fratremque eius Widonem occidit, et ad imperatorem victor rediit. Ipso anno Brun, Coloniae Agrippinae venerabilis archiepiscopus, frater Ottonis imperatoris, obiit; cuius vita litteris edita a quibusdam habetur. ...

1009. Wolferadus comes Hiltrudem, Piligrini et Berhtradae filiam, uxorem duxit, ex qua postea, me Herimanno annumerato, 15 liberos procreavit.

1010. Senior Wolferadus comes, paternus avus meus, vir clemens et iusticiae tenax inter suosque praeclarus, 4. Non. Martii iam senex moritur.

1011. Willigisus Mogontiensis archiepiscopus obiit, eique Erchenbaldus successit. Theodoricus, dux partis Lotharingorum, sub ipsa pene praesentia regis a Heinrico, Baioariae dudum duce, et quibusdam Lotharingis captus et abductus est. Quo tamen postea relaxato, Heinricus ipse gratiam regis ducatumque suum recepit.

1037. Imperator, celebrato Veronae natale Domini, per Brixiam et Cremonam Mediolanum pervenit. Inde Papiam adiens, Heribertum Mediolanensem archiepiscopum infidelitatis accusatum adprehendi iussit, eumque Poponi patriarchae Aquilegiensi custodiendum conmendavit. Qui fuga elapsus, cunctis viribus eidem imperatori rebellare contendit. Imperator, paschali festo Ravennae acto, territorium Mediolanense repetiit, urbem obsedit, castella, villas omniaque circum ad rebelles pertinentia vastavit. Coniuratorum vero manum facile conpescuit, eisque legem, quam et prioribus habuerant temporibus, scripto roboravit. Papa Benedictus Cremonam ad imperatorem venit. Episcopi Placentinus, Cremonensis et Vercellensis incusati ab imperatore, captique et in exilium missi sunt. Ipso anno pugna inter Odonem, Gallicae Campaniae principem, et Gozzilonem Lotharingorum ducem conmissa, Odo victus et cum suis fugatus, in ipsa fuga peremptus interiit. ...

1047.... Circa idem tempus imperator praesules nonnullos constituit. Inter quos Ravennati aecclesiae Hunfridum, cancellarium suum in Italia, Constantiensi Theodericum, per alias provincias cancellarium suum et archicapellanum et Aquisgranae praepositum, Argentinae Herrandum, Spirae praepositum, pro Willehelmo autumnali tempore defuncto, Viridunensi Theodericum, Basilae praepositum et capellanum suum, pontifices praefecit. ...

1052. Imperator natalem Domini Goslare egit, ibique quosdam hereticos, inter alia pravi erroris dogmata Manichea secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne heretica scabies latius serpens plures inficeret, in patibulo suspendi iussit. Eodem tempore 5. Idus Ianuarii mater mea Hiltrudis, Wolfradi comitis uxor, admodum pia, mitis, liberalis et religiosa femina, marito septemque liberis superstitibus, devoto et felici, uti hominibus apparere poterat, exitu diem ultimum clausit, anno aetatis circiter sexagesimo primo, coniunctionis vero cum marito quadragesimo quarto, et apud villam Alleshusan sub capella sancti Oudalrici a se constructa, in sepulchro quod ipsa sibi praeparaverat, condita est. ...

Sequenti tempore quadragesimali imperator Ravennatem archiepiscopum Heinricum promovit. Et Nizo Frisingiensis episcopus, prius ex superbissimo vitae habitu ad humilitatis et religionis speciem conversus, ac denuo ad pristinae conversationis insolentiam reversus, cum eum iussu imperatoris Ravennam perduxisset, subita inibi morte periit. — Imperator paschale festum Nemeti egit; indeque, ut aiunt, locum illum, patris matrisque suae sepultura praeditum, magis magisque parvipendens, subiratus episcopoque loci illius infensus discessit. ...

1053.... Domnus papa, habita Romae post pascha synodo, contra Nordmannos, ut proposuerat, exercitum movit. Cumque illi pacem petentes subiectionem servitiumque ipsi promitterent, et quaeque prius iniuste sibi usurpantes invaserant, eius beneficio gratiaque retinere velle se dicerent, idque papa abnegans vi et iniuria raptas res sancti Petri reposceret, eosque perperam pervaso cedere loco iuberet: illi, quia numero longe praestabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obviam ituros, armisque adquisitam patriam, armis defensuros vel morte occubituros denuntiant. Sicque 14. Kalend. Iul. valida pugna confligentes, prima acie a Theutonicis pene victi sunt. Sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citius terga vertentibus, Theutonicisque maxima ex parte, sed non inulte, occumbentibus, occulto Dei iudicio — sive quia tantum sacerdotem spiritalis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat; sive quod nefarios homines quam multos, ad se ob impunitatem scelerum vel questum avarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat; sive divina iusticia alias, quas ipsa novit, ab causas nostros plectente — quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseque domnus papa in quodam ab eis castello obsessus, cum, expugnata iam iamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum, cum honore tamen, reductus est; ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus. — Et hoc et superiore anno frugum penuria facta est non modica. —

Werinharius, frater meus, Augiensis monachus, admodum doctus et religioni vere deditus iuvenis, cum alio monacho Liuthario, studio vitae perfectioris flagrans, peregrinationem clam pro Christo adgreditur, literis tamen remissis licentiam abbatis postulans et impetrans. Et sequenti tempore Richardus Renaugiensis abbas, et Heinricus item Augiensis monachus, hoc exemplum secuti, relictis omnibus, idem propositum adgrediuntur. ...

15. Berthold und der schwäbische Annalist.

Bertholdi Annales ed. Pertz, SS. 5, S. 264–326.

Herimannus, qui et heros magnus, religiosi comitis Wolveradi filius, ab ineunte aetate in exteriori homine passione paralytica omnibus membris dissolutorie contractus, in interiori autem ingenii vena prae cunctis sui seculi viris mirabiliter dilatatus, artium omnium perplexitates metrorumque subtilitates per semet ipsum suo sensu fere comprehendit. Totus semper a primis annis huiusmodi studio et otiis vacanter contraditus, et in tam plenaria divinarum et secularium litterarum peritia magnus effectus est, ut ab omnibus ad magisterium et doctrinam eius undique confluentibus stupori et admirationi haberetur. ...

1060. Heinricus Galliarum rex obiit, et filius eius Philippus adhuc puer regnum cum matre gubernandum suscepit.

Liudpaldus Mogontinus archiepiscop. decessit; cui Sigefridus Fuldensis abbas successit.

Chounradus Nemetensis episcopus moritur, in cuius locum Einhardus Augustensis praepositus promovetur. Mahthilt soror regis obiit.

Heinricus Palatinus comes in amentiam versus, cum sub specie religionis quasi seculum derelinquens, in monasterium Epftirnacha se contulisset, inde abstractus, coniugem suam occidit.

Et hoc anno, sicut in priori, mortalitas multos extinxit. Hyems satis dura et nivosa, et plus solito prolixa, frumenti vinique maximum attulit damnum. ...

1061. ... Romae Nicolao papa defuncto, Romani coronam et alia munera Heinrico regi transmiserunt, eumque pro eligendo summo pontifice interpellaverunt. Qui ad se convocatis omnibus Italiae episcopis, generalique conventu Basileae habito, eadem imposita corona patritius Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium Parmensem episcopum, multis praemiis quibusdam ut aiunt datis, symoniace summum Romanae aecclesiae elegit pontificem. Interim dum haec aguntur, Anshelmus episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, apostolicam sedem sibi usurpavit. ...

1066. Multi nobiles civili bello perierunt. Heinricus rex natalem Domini ..., pascha autem apud Traiectum egit. ...

1071. Rex natalem Domini ... egit. ...

1072. Rex natale Domini ... et pene sine difficultate bellorum sibi rebellantes superavit. ...

1073. Rex natale Domini ... Roudolfus dux Alemanniae, et Bertholdus dux Carantaniae, et Welf dux Baioariae a rege discesserunt, quia aliis subintroeuntibus consiliariis, suum consilium apud regem non valere perspexerunt. ...

1075. ... Eodem tempore aestivali domnus papa regi post tot contempta illius promissa et mandata, adhuc apostolica mansuetudine attemptando commonitorias direxit litteras, quatinus quid et cui promiserit, recogitando meminerit, neque se falsarius aut contumeliosus in Dei et apostolicae dignitatis contemptum et iniuriam pertinaciter erigeret, neque Deum, qui se prae caeteris tam honoratum sublimaret, contumax et incorrigibilis annullaret, set mente plurimum sollertissima id semper attenderet, quia superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Ipse autem pro victoria, qua tam magnifice potitus est, non quidem maximas Deo, qui ipsum vincere et triumphare dedit, grates, ut oporteret, referebat, verum potius, qualiter se secundum se delectatum et iocundatum haberet, totus semper attendebat. Monita vero apostolicae lenitatis, quibus eum multotiens antea arguendo, obsecrando, increpando, ad emendatiorem vitam adhortatus est, quasi gratissima sibi simulatorię acceptavit, caeterum re et erroris exaggeratione omnino conculcavit. Aliquoties etiam devotas econtra ipsi salutationes et litteras direxit excusatorias, satis confitendo conquerens, tum aetate quod fluxa esset et fragilis, tum quod ab his in quorum manibus curia esset, multotiens sibi male suasum et consultum sit. Aliquoties etiam supplices et omni humilitate plenas ipsi direxit litteras, in quibus se Deo et beato Petro valde culpabilem et criminosum professus est, insuper preces offerens, ut quod ex sua culpa in aecclesiasticis causis contra canonicam iustitiam et decretalia sanctorum patrum statuta depravatum fuisset, apostolica eius providentia et auctoritate corrigeretur, et in hoc suam oboedientiam, con-

silium et adiutorium sibi non defutura efficaciter experiretur. Nunc autem huiusmodi sui ipsius et aecclesiarum tam perplures correctionis sponsiones, quas tantotiens per legatos et litteras domno papae tam multifariam fecit, omnino contumax parvipendit, et excommunicatis in proxima Romana synodo consiliariis et familiaribus suis praesumptuosus communicavit, et aecclesias Dei, ut ab olim assolebat, confundere et diripere non cessavit. ...

1076. ... Tandem vero rex, non modico furore post discessum virorum praedictorum permotus, et indignum ducens, se a quoquam reprehendi debere aut corripi, non solum non resipuit, quin potius ampliori tergiversatione contra fas temerarius satis periculose desipuit. Namque infausto consilio cum suis inito, plures regni episcopos et principes, eos maxime quos suae voluntati consentaneos noverat, apud Wormatiam convocavit. Quos pene omnes debitam beato Petro et apostolicae sedis praesuli Gregorio oboedientiam abnegare, eique palam unumquemque ex nomine suo specialiter scripto, inprimis autem sui ipsius praenotato, inita in id ipsum conspiratione abrenuntiare coegerat. Indeque litteras abrenuntiatorias per episcopos duos, Spirensem et Basiliensem, primum in Italiam principibus et episcopis illius patriae, huic conspirationi associandis, direxit, deinde Romam. ...

Totum itaque corpus scripturarum sententiis domni apostolici suffragatur. Unde contradictores et perversores earum facillime possunt convinci. Ipse namque a vestigiis sanctorum patrum nullatenus deviavit. Incassum ergo quidam contentiosi musitabant pro induciis regi eiusque complicibus non datis, et quod eos statim excommunicavit, postquam eorum crimina tam contumaciter publicata, et tam pro nichilo habita, nec non tam pertinaciter defensa, aecclesiam sanctam miserabiliter nimis confoedaverant, et super tot vulgatissima sua contumaciter inoboedientiam suam non alibi nisi in synodo Romana, et haec scriptis et nomine publicata, nimia temeritate professi sunt.[1]) ...

1077. ... Eodem tempore Agnes imperatrix huiusmodi seditiones iam diu sedare summopere contendens, exitu felici 19. Kal. Ianuar. diem ultimum clausit. Quae duodeviginti ex quo sacro velamine consecrata est annis, regia gloria et unâ vitae mundanae voluptuosis deliciis pro regno Dei spre-

1) *Den Bericht über Tribur und Canossa s. bei Bernheim, Quellen zur Gesch. d. Investiturstreites I, 2. A. (1913), S. 85f. und 96–98.*

tis, vitae religiosae stadium certatim aggressa est. Psalmodiae et orationibus die ac nocte indefessa semper institit; carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, utpote quae Christi revera secutrix fuerit, semet ipsa verissime abnegata, sedula nimis crucifixit. ... Hereticis autem et ypocritis, ut absque personarum acceptione magnae in omnes libertatis et invectionis erat, nimis aspera, auctoritate et coargutione magisteriali satis infesta resistebat, et maxime nicolaitis et symonianis. Primum namque cum a nonnullis regni primatibus obnixe rogaretur, ob filii sui puerilia dehinc vero iuvenilia errata coercenda seu temperanda, ut in Theutonicis partibus monitrix illius et correctrix materna disciplina et libertate caeteris sollertior et familiarior moraretur, aliquantisper consensit. Demum vero cum filio suo eiusque a secretis tantotiens commonitis, et omni arte et ingenio coargutis, obiurgatis, obsecratis oportune pariter et inportune, et nec minimum quid propterea correctis, immo potius deteriora molientibus, omnino abhominabilis nec non etiam gravis ad videndum fieret, tot insolentias, rapinas, invidias, repugnantiam, vecordias et multifarias eorum insanias diutius pati recusans, se Romam ad sanctum Petrum et tot sanctorum contubernia cum omnibus suis ex toto contulerat. ...

1078. ... In eadem synodo legati regis Heinrici multum in tot, quos sibi qualitercumque assciverant, fautoribus animati et confisi, in primis omnifariam domno apostolico oboedientiam, et eam quomodocumque probandam, ex parte domini sui publice promiserant. ...

Domnus autem apostolicus, cui ex toto nota erat causae instantis interturbatio, et quem non facile seductilem in personarum acceptionem adulatoria quorumlibet protrahere posset argumentatio, ante utriusque partis cautam examinationem, et cui adhuc prorsus in dubio penderat veritas excommunicationis iam per cardinalem suum factae, sese nichil inde posse decernere, palam protestatus est. Utriusque regis oboedientiam, legatos, proclamationes, quos ambos quidem non modica pars regni primatum, episcoporum, virorum sapientium et religiosorum diverso tramite consentanea sequeretur, se multotiens audisse profitebatur. Unde oportunum pro huiusmodi cum sanctae Romanae sedis optimatibus et magistratibus, nec non cum quibus posset, cunctisque sanum sapientibus se necessario consilium et ad hoc tempus congruum habiturum fore praedicebat, ne quid iniuste in alterutrum illorum ab apostolica sede decerneretur. Ad haec

omnes sollerter rogitabat et commonebat, ut in commune Deo pro hoc devotissime supplicarent, quatinus sibi divini sui spiritum consilii inspirare dignaretur, quo auctorante sancta mater aecclesia per tot hereses scismata et discordias miserabiliter dissipata, in Christo uniri et pacificari mereretur....

16. Bernoldi Chronicon.

Ed. Pertz, SS. 5, S. 385–467.[1])

Hae sunt cronica Bernoldi, quae contradidit monasterio Domni Salvatoris.

Incipiunt chronica venerabilis Bedae presbyteri iuxta Hebraicam veritatem. ...

De sex mundi aetatibus.

Sex mundi aetatibus tempora distinguuntur. ...

4. Valens a Gothis occiso exercitu fugiens, in domo quadam vivus crematur. Huc usque chronica Eusebii Ieronimus perduxit. Hinc autem usque ad millesimum quinquagesimum quartum annum ab incarnatione Domini domnus Heremannus chronica sua perduxit.

1066. Multi nobiles bello civili perierunt. Cometae sunt visae in octavis paschae, 9. Kal. Maii, et per 30 dies apparuere. Eberhardus Treverensis archiepiscopus, 17. Kalend. Maii, sabbato sancto paschae, completis a se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace. Cui Chonradus Coloniensis praepositus debuit succedere; set a civibus non est electus. ... Udo post interfectum Chounradum praesul Trevirensis constituitur. Nuptiae Heinrici regis.

Item cometa visa est. His temporibus venerabilis Petrus Damiani, ex heremita cardinalis episcopus, multa conscripsit, et incontinentiam sacerdotum satis rationabiliter in scriptis suis confutavit, ordinatos autem a symoniacis, ut aiunt, nimium clementer tractavit. Hugo Bizantiensis archiepiscopus obiit. Cui eiusdem aeclesiae canonicus a fratribus electus, a rege substituitur.

1078. Heinricus iterum apostolicae sedi de sua quasi iusta damnatione conquaeritur. Unde Gregorius papa facto concilio mense Martio idoneos legatos iterum destinavit, qui

1) *Vgl. auch Bernheim a. a. O. S. 98f.*

facto generali colloquio, causam regni iuste determinarent: et omnes sinodali sententia damnavit, quicumque impedirent, ne colloquium fieret. Quod Roudolfus libentissime voluit fieri; Heinricus autem, utcumque potuit, illud impedire non cessavit. Nam contra praeceptum apostolici maxima multitudine flagiciosorum adunata, procinctum in Saxoniam paravit, cui rex Roudolfus apud Strowe cum exercitu obviavit: et illo fugato, ipse campum victoriae obtinuit, 7. Idus Augusti. Occubuit tamen ibi ex parte Roudolfi Wecel, venerabilis Magideburgensis episcopus, et Wormaciaensis episcopus captus est. Infinita autem multitudo utrimque occubuit: plures tamen et excellentiores ex parte Heinrici. ...

1085. ... Deus autem omnipotens suis fidelibus per se ipsum auxiliari non cessavit, suumque iudicium super inimicos sanctae aeclesiae mirabiliter exercuit. Nam totam pene Italiam, in qua potissimum excommunicati furebant, tam magna fames obtinuit, ut homines non tantum immunda quaeque, set etiam humanam carnem manducarent; quam famem tam inaudita mortalitas subsecuta est, ut nec tercia pars hominum remaneret, set deficiente colono maxima pars terrae in solitudinem redacta est. Padus quoque fluvius Longobardiae ripas suas excedens multa castella, villas, immo circa iacentes regiones penitus submersit et inhabitabiles reddidit. Ipsa etiam capita scismaticorum eo tempore, heu! misere in locum suum abiere, videlicet Parmensis et Regiensis exepiscopi, Theodaldus Mediolanensis non archiepiscopus set antichristus, Adelbertus et Reginherius marchiones, et comes Boso, et alii innumerabiles, quorum factione tota pene Italia contra domnum papam et sanctum Petrum se erexit. Hi quoque Mathildam, prudentissimam ducem et fidelissimam sancti Petri militem, multis iniuriis affecerant in Italia. Illis autem divina animadversione de medio sublatis, ipsa suam potestatem recuperavit, et sanctae Dei aeclesiae in omnibus adminiculari non cessavit; sicque eius prudentia Mutinensi aeclesiae, et Regiensi, atque Pistoriensi catholici pastores ordinati sunt. Sed iam Deus omnipotens famulum suum Gregorium papam nolens diutius laborare, immo pro laboribus suis digne remunerare, de huius vitae ergastulo eum evocavit. ...

1086. ... His temporibus fideles sancti Petri principes Suevorum cum Saxonibus et Baioariis generale colloquium post festivitatem apostolorum prope Wirceburc condixerunt. Quod Heinricus congregata multitudine scismaticorum inter-

turbare voluit, set Suevis supervenientibus resistere non valens, ad tempus eis locum dedit.... Igitur [scil.: fideles sancti Petri] in nomine Domini congressi, incredibilem hostium stragem fecerunt, ita ut novem nimium altae congeries cadaverum ibi viderentur, praeter illos qui per campos et silvas fugitantes occubuerunt. Heinricus autem in primo impetu congressionis dissimulato habitu primus inter primos terga vertens, omnia vexilla sua nostris derelinquens, usque ad Renum satis accelerato pervenit. Sed nostri eum longo itinere insecuti, tandem magnam praedam de hostibus reportaverunt. Ipsius sane scrinia cum vestimentis regalibus, item nescio quot capellas episcoporum cum aliis innumerabilibus nostri acceperunt. In illa igitur congressione quot milia adversariorum occubuerint, nondum explorare potuimus. Ex parte autem fidelium sancti Petri nonnisi quindecim homines mortuos invenire potuimus, licet diligentissime perquireremus, et ipsorum quindecim nonnisi tres in loco certaminis obierunt, nam reliqui aliquot diebus postea vixerunt. Inter mortuos autem et vulneratos nonnisi triginta reperire potuimus ex nostris. Et hoc utique nulli humanae virtuti, set potius divinae ascribendum est, cum fideles sancti Petri vix decem milia habuerint, adversarii autem etiam viginti milia excessisse referantur. Itaque nostri per Dei misericordiam victoria potiti, in campo certaminis ea nocte castra metati sunt, et in crastinum ad obsidionem urbis reversi, absque sanguine eam ceperunt. ... Ego quoque ipse, qui haec chronica a 1054 anno dominicae incarnationis hucusque perduxi, de praedicto praelio non tam aliorum relata, quam quae ipse vidi et audivi, ad laudem et gloriam Dei fidelibus annunciare curavi. ...

1091. ... His temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in clericis et monachis religiosissime commanentibus, verum etiam in laicis, se et sua ad eandem communem vitam devotissime offerentibus, qui etsi habitu nec clerici nec monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares in meritis fuisse creduntur. ...

17. Adami Gesta Hammaburgensis ecclesiae pontificum.

Ex recensione Lappenbergii ed. altera, 1876 (SS. *R. G.*).

... Scio tamen aliquos, ut in novissimis rebus fieri consuetum est, adversarios michi non defuturos, qui dicant haec ficta et falsa veluti somnia Scipionis a Tullio meditata; dicant etiam si volunt per eburneam portam Maronis egressa. Nobis propositum est non omnibus placere, sed tibi, pater, et ecclesiae tuae; difficillimum est enim invidis placere. Et quoniam sic emulorum cogit improbitas, fateor tibi, quibus ex pratis defloravi hoc sertum, ne dicar specie veri captasse mendacium: itaque de hiis quae scribo, aliqua per scedulas dispersa collegi, multa vero mutuavi de hystoriis et privilegiis Romanorum, pleraque omnia seniorum, quibus res nota est traditione didici, testem habens veritatem, nichil de meo corde prophetari, nichil temere definiri; sed omnia quae positurus sum certis roborabo testimoniis, ut si michi non creditur, saltem auctoritati fides tribuatur. In quo opere talibusque ausis sciant omnes, quod nec laudari cupio ut historicus, nec improbari metuo ut falsidicus; sed quod bene ego non potui, melius scribendi ceteris materiam reliqui. Ab introitu igitur sancti Willehadi, cum Saxonia tota et armis subacta Francorum et divino cultui mancipata est, ordiens, in tuo salutari ingressu pono metam libelluli, simul omnipotentis Dei misericordiae supplicans, ut, qui te populo suo diu erranti et afflicto pastorem constituit, annuat etiam tua opera tuisque diebus ea quae inter nos prava sunt corrigi et correcta perpetuo conservari. Ad hec quae in gentium conversione a decessoribus tuis strennue dudum incepta sunt, a te, qui hereditariam predicandi legationem possides in totam septentrionis latitudinem, mature perfici concedat Iesus Christus dominus noster, cuius regni non est finis per omnia secula seculorum. Amen. ...

1. Historiam Hammaburgensis ecclesiae scripturi, quoniam Hammaburg nobilissima quondam Saxonum civitas erat, non indecens aut vacuum fore putamus, si prius de gente Saxonum et natura eiusdem provintiae ponemus ea, quae doctissimus vir Einhardus aliique non obscuri auctores reliquerunt in scriptis suis. 'Saxonia', inquiunt, 'pars non modica est Germaniae, et eius quae a Francis incolitur duplum in lato putatur habere, cum ei longitudine possit esse consimilis.' Positio eius recte mentientibus trigona videtur; ita ut primus angulus in austrum porrigatur usque ad Renum flumen, secundus vero inchoans a maritimis Hadelohe regionis, longo secus Albiam limite protenditur in orientem usque ad Salam fluvium. Ibi est angulus tercius. Itaque ab angulo in angulum habes iter octo dierum, praeter eam partem Saxoniae, quae trans Albiam supra incolitur a Sorabis, infra autem a Nordalbingis. ...

23.... Tunc quoque Gaudbertus episcopus zelo gentilium a Sueonia depulsus, et Nithardus, capellanus eius, martyrio coro-

natus est cum aliis. Et exinde Sueonia septennio caruit sacerdotali praesentia. Quo tempore Anundus regno pulsus, in christianos persecutionem habuit. Herigarius, Bircae praefectus, christianitatem ibi solus sustentavit. Qui etiam tantam gratiam fidei meruit, ut potentia miraculorum et exhortatione doctrinae multa paganorum milia salvaret. Scriptum est in Actibus beati Ansgarii.

24. Anno Leuderici Bremensis episcopi 3. Ludvicus imperator obiit. Regnum in contentione remansit, multa inter fratres discordia, bellum maximum, in quo, ut historici testantur, omnes vires Francorum consumptae sunt. Discordiae incentor Ebo, qui et supra filios in patrem armaverat, et nunc fratres intestina seditione concitaverat, proinde conspirationis accusatus, a papa Gregorio depositus est. Sed aliis hoc criminantibus, aliis recte factum astruentibus, veritatem nos in medio relinquemus, praesertim cum a sancto patre nostro Ansgario ea dilectione, qua ab initio secum habuit, usque in finem habitus fuerit. Lege in Vita eius et in capitulo Rhabani de fama Ebonis ambigua. ...

30. Post haec scribitur in Vita beati antistitis, qualiter in Daniam veniens iuniorem Horicum in regno repperit. Cui tempori congruit Hystoria Francorum, quae sic de Danis meminit: Nortmannos per Ligerim Thurones succendisse, per Sequanam Parisios obsedisse, Karolum timore compulsum terram eis dedisse ad habitandum. Deinde Lotharingia, inquit, vastata, et subacta Fresia,

in sua victrici conversos viscera dextra.

Contendentibus namque ad invicem Gudurm, principe Nortmannorum, cum patruo, scilicet rege Danorum Horico, tanta caede utrique mactati sunt, ut wulgus omne caderet, de styrpe autem regia nemo omnium remaneret, praeter puerum unum, nomine Horicum. Iste mox ut regnum Danorum suscepit, ingenito furore super christicolas efferatus, sacerdotes Dei expulit et ecclesias claudi praecepit. ...

III, 1. ... Quoniam vero difficile est omnes viri actus aut bene aut pleniter aut in ordinem posse diffiniri a me, praecipua gestorum eius [sc. Adalb. archiep.] summatim quaeque delibans, affectu condolentis ad eam pervenire desidero calumpniam, qua nobilis et dives parrochia Hammaburgensis et Bremensis, altera vastata est a paganis, altera discerpta est a pseudochristianis. Igitur narrationis initium tale faciam, ut statim ex moribus eius possint omnia cognosci.[1])

[1]) *Vgl. dazu Kapitel 2.*

Descriptio insularum Aquilonis.

Si placet haec quarti maneant primordia libri.

Illae autem insulae quae Sclavis adiacent insigniores accepimus esse tres. ... Tertia est illa quae Semland dicitur, contigua Ruzzis et Polanis; hanc inhabitant Sembi vel Pruzzi, homines humanissimi, qui obviam tendunt his ad auxiliandum, qui periclitantur in mari vel qui a pyratis infestantur. Aurum et argentum pro minimo ducunt, pellibus habundant peregrinis, quarum odor letiferum nostro orbi propinavit superbiae venenum. Et illi quidem ut stercora haec habent ad nostram credo dampnationem, qui per fas et nefas ad vestem anhelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quae nos dicimus faldones, illi offerunt tam preciosos martures. Multa possent dici ex illis populis laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cuius praedicatores immaniter persecuntur. Apud illos martyrio coronatus est illustris Boemiorum episcopus Adalbertus. Usque hodie profecto inter illos, cum cetera omnia sint communia nostris, solus prohibetur accessus lucorum et fontium, quos autumant pollui christianorum accessu. ...

lib. IV, 30. Nortmannia propter asperitatem montium sive propter frigus intemperatum sterilissima est omnium regionum, solis apta pecoribus. Quorum armenta ritu Arabum longe in desertis stabulant. Eoque victu peculii transigunt vitam, ut lacte pecudum in cibos, lana utantur in vestes. Indeque fortissimos educat milites, qui nulla frugum luxuria molliti, sepius impugnant alios, quam ipsi molestentur ab aliquo. Sine invidia cum proximis habitant Sueonibus, quamvis a Danis, aeque pauperibus, non impune temptentur aliquando. Itaque rei familiaris inopia coacti, totum mundum circumeunt et pyraticis raptibus amplissimam terrarum facultatem reportant domum, penuriam suae regionis tali modo sustinentes. Post susceptam vero christianitatem melioribus imbuti scolis, didicerunt iam pacem et veritatem diligere, paupertate sua contenti esse, immo quae habent collecta spargere, non ut prius sparsa colligere. Cumque nefandis artibus maleficiorum omnes ab initio servirent, nunc vero cum apostolo simpliciter confitentur Christum et hunc crucifixum. Sunt etiam continentissimi omnium mortalium, tam in cibis quam in moribus parcitatem modestiamque summopere diligentes. Praeterea sacerdotum et ecclesiarum tantam habent venerationem, ut vix christianus habeatur, qui non cotidie obtulerit ad missam,

quam audierit. Verum baptismus et confirmatio, dedicationes altarium et sacrorum benedictio ordinum apud illos et Danos care omnia redimuntur. Quod ex avaritia sacerdotum prodisse arbitror, quia barbari decimas adhuc dare aut nesciunt aut nolunt, ideo constringuntur in ceteris, quae deberent gratis offerri. Nam et visitacio infirmorum et sepultura mortuorum, omnia ibi venalia. Apud illos tanta morum insignia, ut compertum habeo, sola sacerdotum corrumpuntur avaricia.

18. Brunonis de bello Saxonico liber.

Ed. altera recogn. W. Wattenbach, 1880 (SS. R. G.).

Prologus.... Igitur bellum quod Heinricus rex cum Saxonibus egit, volo breviter et veraciter scribere, sicut ab his, qui rebus intererant, potui cognoscere. Quod cum sui magnitudine, tum misericordia Dei, quam in ipso bello experti sumus, est memorabile, sicut in sequentibus, si quis legere dignabitur, poterit agnoscere. Sic enim in flagello vino severitatis oleum pietatis admiscuit, ut et prophetam vera locutum esse gaudentes agnosceremus: 'Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis', et apostolum: 'Fidelis Deus, qui non permittet vos temptari super id quod potestis'. Sed priusquam incipiam ipsius belli seriem explicare, oportet me pauca de puericia vel adolescentia eiusdem Heinrici praemittere, ut dum qualem vitam puer vel adolescens agebat, lector agnoverit, minus miretur, quod intestinum bellum vir factus inceperit. Verum ne hoc opus quilibet in manus accipiens statim velit conspuere, placuit michi illud vestri nominis praenotatione munire, quatenus dum vestrum nomen pagina prima demonstrat, sequens opus a sputis defendat. Ergo vestra dignitas dignetur illud tanta alacritate suscipere, quanta a me offertur devotione.

16. Inter haec omnia iam abeunte adolescentia, mox ut Adalbertum Bremensem episcopum nactus est consiliarium, ipsius suasionibus coepit in desertis locis altos et natura munitos montes quaerere, et in his huiusmodi castella fabricare, quae si in locis competentibus starent, ingens regno firmamentum simul et ornamentum forent. Quorum primum et maximum Hartesburg appellavit; quod ita forti muro et turribus et portis exterius munivit, ita regalibus aedificiis intus adornavit, tale monasterium in ipso construxit, tales ornatus in ipso monasterio collocavit, tales et tot clericos illuc undique congregavit, uti aliquot episcopales locos omni suo apparatu aequiperaret, aliquot etiam transcenderet. Quicquid ornatus ecclesiastici quemlibet episcopum magis decorum videbat habere, sive praecepto sive precibus acceptum suo monasterio studebat conferre. Cetera vero castella non tam pulcra quam fortia esse laborabat. Beatus et valde beatus esset, si munitiones easdem contra paganos erexisset. Nam ipsi iam dudum aut omnes fuissent christiani, aut christianis principibus imperpetuum tributarii. Sed haec castellorum diversis in locis constructio primo nostratibus puerilis ludos videbatur, quia nondum eius intentio mala cognoscebatur. Et non solum ea fieri, nichil adhuc periculi timentes, cum iam possent non prohibebant, verum etiam ex hoc eum fore contra nationes exteras bellicosum quasi divinantes, ad ipsas aedificationes eum vel opibus vel operibus adiuvabant. Postquam vero praesidia in ipsis castellis collocata coeperunt in circuitu sui praedationes agere, non suos labores in suos usus comportare, liberos homines ad opus servile compellere, filias vel uxores alienas ludibrio habere: tunc primum quid illa castella portenderent intellexerunt, nec tamen adhuc resistere vel se defendere praesumpserunt. ...

17. Gens vero Suevorum audita Saxonum calamitate clam legatos suos ad illos misit et foedus cum eis fecit, ut neuter populus ad alterius oppressionem regi ferret auxilium. Volebat enim rex etiam Suevos violenter opprimere, et ut sibi de praediis suis redderent tributa compellere. Quod foedus Saxones si fideliter servassent, et ab infamia perfidiae et a magna parte calamitatis liberi fuissent.

104. Interea domnus apostolicus, apostolici vigoris oblitus, qua causa nescimus, multum est a priore sententia mutatus. Nam qui prius Heinricum cum omnibus suis adiutoribus apostolica severitate excommunicaverat, eique regnandi potestatem potenter interdixerat, et omnes qui ei fidelitatem iurassent, a iuramenti nodis apostolica auctoritate absolverat, et electionem novi regis consensu suo confirmaverat, nunc per litteras mandavit, ut concilio facto rex uterque convocatus audiatur, et quem iustitia regnare permiserit, altero deposito tutus in regno confirmetur. Quarum litterarum, ut planius quod dico possit intelligi, subtus exemplum ponere curavi; quae venerunt mense Februario anno Domini 1079. ...

107. Acceptis his litteris, Bernhardus cardinalis, quod sibi iniunctum est, exequitur. At nostrates cum ipsas litteras accepissent, a magna spe quam in apostolica petra posuerant, exciderunt, quia prius coelum stare vel terram crediderant

coeli modo moveri, quam cathedram Petri amittere constantiam Petri. Has ergo litteras ei remiserunt, quibus eum ancillae, praesentis scilicet vitae, perterritum timore, quasi voce galli clamantis excitare, et respectu Christi confortatum ad pristinae virtutem constantiae revocare voluerunt:[1])

109. Ad quas litteras cum nullum pro velle suo responsum accepissent, has ei litteras iterum miserunt, ut quia non primo quasi galli cantu, sicut secundum Marcum nec Petrus est excitatus, saltem cum secundo, quasi gallus, populus ecclesiae vocem daret, a torpore dubitationis ad constantiam Petri cum Petro suscitatus exurgeret: ...

116. Sic totus annus ille consumitur, ut fere nichil memorabile fieret in nostris partibus, nisi quod apostolici legati frequenter ad utrasque partes venerunt, et nunc nobis, nunc hostibus nostris apostolicum favorem promittentes, ab utrisque pecuniam, quantam poterant more Romano conquirere, secum detulerunt. ...

19. Carmen de bello Saxonico.

Ex recensione O. Holder-Egger, 1889 (SS. R. G.).

lib. II. Rex igitur, facta Saxonum deditione,
Supplicibus mitis, contrarius atque superbis,
More leonino, substratis hostibus, iram
Iustam deposuit commissaque cuncta remisit.
Ibat per patriam rex invictissimus illam,
Incorrecta regens, leges et iura reponens,
Restituens cunctis sua dudum despoliatis.
Hinc propriam sedem tendens ad Goslariensem,
Saxonum genti dat patria iura petenti,
Per totam patriam pacis iubet esse quietem,
Iusto iudicio causas componit et aequo. ...

lib. III, 1—4. At gens exitio dudum devota futuro,
Ut fuerat solitae concessa licentia praedae,
Concipit immanem diro sub corde furorem
Et ruit effrenis, quo se tulit impetus amens.

lib. III. Exue duriciam cordis, gens saeva, vel ipso
Temporis articulo! Iam nunc delebere vel tu
Vel tua posteritas, ni colla superba remittas.

1) *Der dann folgende Brief auch bei Bernheim a. a. O. S. 110 bis 113; s. ebd. S. 95f. u. 102f.*

Victa resistis ei, cui nullus restitit unquam?
Exhorresve pio regi tua dedere colla?
Num pessundatus est quisquam sibi deditus unquam?
Subdere clementi, supplex substernere miti!
Ipse paternorum certissimus assecla morum
Parcet subiectis debellabitque superbos.
Ergo propinquantis dicto cum milite regis
Castra petunt humiles Saxonum quique valentes,
Iam diffidentes armisque dolisque fugaeque,
Armis exuti, demissi colla superba
Nudatique pedes, cuncti cum supplice voto
Regi se dedunt omni sine conditione.
Ecce tenes solitum tibi, rex invicte, triumphum,
En tua frena pati gentem effrenem docuisti.
Ut virtute geris, sic et pietate parentes,
Rex auguste, gere, vel substratis miserere!
His satis exempli, fortissime, iam statuisti,
Si qui forte tuis obsistent amplius armis.
Nunc tibi supplicibus propone quibusque futuris,
Quid de te sperent, dum se tibi, rex pie, dedent!

20. Vita Heinrici IV. imperatoris.

Ex recensione Wattenbachii. Editio tertia curante W. Eberhard, 1899 (SS. R. G.).

c. 3. ... Quin et hoc [sc.: apostolicus] addidit: absolvit omnes á iuramento, qui fidem regi iuraverant, ut contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit — si cui displicere licet, quod apostolicus fecit —, et asserebant tam inefficaciter quam illicite factum, quod factum est. Sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis apostolici factum refellere. Mox episcopi, tam illi quos amor quam quos timor in partem regis traxerat, metuentes ordini suo, ab eius auxilio plerique se retrahebant; quod et maior pars procerum factitabat. Tum vero videns rem suam in arto sitam, inito tam occulto quam astuto consilio, subitum et inopinatum iter in occursum apostolici arripuit, unoque facto duo peregit, scilicet et banni solutionem accepit et suspectum sibi colloquium apostolici cum adversariis suis ipse medius intercepit. Pro imposito sibi crimine parum respondit, quia ad accusationem inimicorum suorum, etsi vera fuisset, non sibi respondendum asseruit. ...

c. 6. Cum ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis nec in electione regum, iterum se conviciis

armaverunt et eum apud apostolicum praeter alia multa et nefanda criminati sunt, quod reges christianissimos, quos ipsi non sine auctoritate apostolici creassent, ille ob crimen suum extorris á regno factus occidisset, sanguine regnum usurpasset, igne, praeda, ferro cuncta vastasset et tyrannidem suam adversus aecclesiam et regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem apostolicus eum iterum banno, ut ipsi iactabant, illigavit; sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quod non rationis, sed arbitrii, non amoris, sed odii esse videretur. Cernens autem rex apostolicum ad hoc tendere, ut se regno privaret, nec alia sui oboedientia contentum, nisi ut regno renunciaret, ex oboedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc apostolico facere parabat, quod apostolicus sibi faciendum intenderat. Cessa, obsecro, rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut aecclesiasticum caput de suo culmine deicias et in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati felicitatis est, reddere criminis.

c. 9. ... Ilico [scil.: filius imperatoris] Bawariam, Sueviam, Saxoniam percurrit, proceres convenit, attraxit omnes, ut sunt ingenia novarum rerum cupida, et subintravit in regiam potestatem, tamquam sepelisset patrem. Mox castellum Nŏrinberch minax obsedit, ubi quanta virtute pugnatum sit, clades utriusque partis argumento fuit. Sed obsessis quanto minus spei, tanto plus animi inerat; et nisi imperator, sceleri parcens, castellum tradi praecepisset, adhuc ibi cassa obsidione laboraret, excepto si sola fames, quae cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit contra filii factum paternitatis affectum; non attendit iniuriam, sed naturam; maluit oppidum tradi, quam filii discrimine liberari; maluit eius iniurias tolerare, quam vindicare. Igitur oppidani, oblata qualem vellent pactione, oppidum tradiderunt; dimissoque exercitu rex Ratisponam se contulit, ut eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi fixaque fide immobilem faceret. Quod ubi comperit imperator, — sedit enim tunc in urbe Wirziburgensi —, reputans filium vel in itinere vel in urbe comprendi posse, tam precipiti tamque tacito cursu eius vestigia sequebatur ut iter eius non ante, donec non modica turba suorum transito Danubio ad urbem inmissis equis ruerent, praesciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam et inopinatam rem, ex urbe profugit. Cur fugis non fugiendum, cur fugis patrem tuum? Sequitur te, non persequitur; sequitur, inquam, non ut hostis, sed ut pater, non ut perdat, sed ut servet; sequitur, ut turbatam ex te rem publicam in quietum statum restituat et tuis rebus in futurum prospiciat. ...

c. 13. Qua tempestate mentis dum fluctuarent, subito fama veniens nubila tantae perturbationis in serenum convertit. Retulit enim imperatorem mortis debitum persolvisse. Ad quam famam primo hesitabant, sed cum nuncius extremum munus patris, anulum videlicet et gladium, cum mandatis filio portans venisset, tanta laeticia oborta est, ut voces gratulantium vix sedari possent. Sed non minor luctus circa funus imperatoris erat; proceres plangebant, vulgus lamentabatur; ubique gemitus, ubique planctus, ubique vox dolentium audiebatur. ...

Post hunc rerum eventum hi qui contra regiam maiestatem bellum susceperant, mortua spe sua, animis et viribus deficiebant et, quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam regis deditione, pecunia, quoque modo quisque poterat, recurrebant.

Ecce habes de gestis, de expensis in pauperes, de fortuna, de obitu imperatoris H[einrici], quae sicut non poterant absque lacrimis á me scribi, sic non poterunt absque lacrimis á te legi.

21. Lambert von Hersfeld.

Lamperti monachi Hersfeldensis opera, recogn. Oswaldus Holder-Egger, 1894 (*SS. R. G.*).

a) Vita Lulli archiepiscopi Mogontiacensis.

13. His rebus bene et ex sententia gestis, archiepiscopus omnem operam suam in locum ipsum intendit. Egregiam scilicet estimabat sibi hanc fore materiam, in quam debitum beato Bonifacio amorem totum transfunderet et amantissimi patris desiderium tanti pignoris hereditaria possessione solaretur. Itaque locum ipsum frequentius invisere, fratres super decessu beati Bonifacii anxios verbis ad consolandum exquisitissimis refovere, ubicumque res posceret presto adesse, inopiae familiarius supplementum affatim prebere, periculum, si quod forte immineret, propulsare, omnia postremo liberalis atque indulgentissimi patris officia impensius administrare. Verum ea longe aliter quam ipse spe concepisset cessere. Non solum enim his rebus nullum favorem, nullam eorum benivolentiam sibi conciliabat, verum etiam cunctorum ibi degentium gravissima in se odia suscitavit. Nam Sturmio

quidam nomine tum preerat monasterio, vir excellentis ingenii et predicandae sanctitatis, sed vehementis nimium et ferocis naturae, unus scilicet ex illo clarissimo grege discipulorum beati Wigberti, qui in Fritislarensi monasterio ad exemplum eius instituebantur. Is privatim et publice animos fratrum sollicitabat, commonens hanc pontificis circa se indulgentiam aliorsum spectare, quam ipsi opinarentur; aliud eum vultu pretendere, aliud animo machinari et magnae cuiusdam iniuriae consilium palliare titulo pietatis, qui scilicet ad hoc quibusdam verborum lenociniis homines inescaret, ut eis fraudulenter suae dominationis frena iniceret et libertatis bonum eriperet, quo vitae humanae nihil sit iocundius, nomini christiano nihil decentius, professioni monachorum nihil commodius. Proinde ipsos non bene rebus suis prospicere, si immemores nobilissimae conversationis, qua fuerant a beato Bonifacio liberaliter educati, ultro in servitutem concederent. His atque huiusmodi sermonibus a beato Lullo cunctorum fratrum animos quam maxime alienavit et nihil tale suspicanti non mediocrem invidiam brevi conflaverat. Ex hoc omnes eum infestis mentibus, adversis obtutibus respicere, familiaritatem abnuere, verborum blandicias velud instructas ad perniciem suam decipulas refugere, omnem eius congressum et colloquium suspectum habere, denique cum dilectione, cum beneficiis, cum munificentia odio, detractione et conviciis decertare.

27. Istud igitur in calce huius historiae satis, ut arbitror, oportune annexerim. Quod tamen ipsum, si quid veri mens augurat, scriptori non nihil invidiae conflabit, apud eos potissimum, qui in contumeliam suam referent, quicquid in laudem viri huius ambitiosius dixi. Sed ego nullam invidiae, nullam odii, nullam persecutionis, si ea immineret, tempestatem gravem ac metuendam duco, quam cum tali viro mihi communem fore video. Illud tantum sibi a me responsum habeat iniquus ille quicumque est calumpniator, me non rudem cúdere materiam, sed in qua et alii scriptores iam ingenia sua detriverint; malignum me fuisse interpretem, si quid ab aliis scriptoribus traditum, quod modo ad rem attineat, ego aut odio motus aut gratia silentio preterissem. Rerum fides potissimum penes illos erit. Ego mihi eam tantum operam iniunxeram, ut de Vita sancti Bonefatii, sanctae Lyobae, Sturmionis abbatis, item et ex cyrografis et decretis principum, qui ea tempestate Galliis presidebant, quaeque in memoriam huius viri dicta excerperem et ea quasi

disiecta historiae membra in unius libelli corpusculum congererem.

Explicit vita sancti Lulli episcopi.

b) Libellus de institutione Herveldensis ecclesiae.

Ex libro I. ... Haec de exordio Herveldensis cenobii strictim dicta libellus de vita sancti Lulli editus latius explicat, si quis ea plenius nosse desiderat. Qualiter vero post haec locus ille per incrementa temporum ad profectum pervenerit, aut qualiter supradictus fratrum numerus, C videlicet et L, integro adhuc rerum statu imminutus sit, vel quales viri sibimet in regimine loci illius successerint usque ad tempora Gozberti abbatis, parum compertum habemus. Nihil enim de his litteris inditum repperimus, magis, ut mea fert opinio, scriptorum incuria quam ingeniorum penuria. Quorum tamen seriem hic ponere duximus dignum. ...

Ex libro secundo collecta. ... Heinricus, cum ad maturam venisset aetatem, relicto episcopo, secundum propriam vixit voluntatem, promittensque Karolum Magnum suo seculo sese representaturum, Roboam se representavit. [De quo satis alibi scribitur.] Anno curiae se abdicavit ideo, in ocia se recipiens. Adelbertus Bremensis archiepiscopus loco eius, non industriae, substituitur.

Ruthardus abbas senio confectus Heinrico adveniente Herveldiam resignavit. Hartwigus monachus eius loci substituitur per eundem Heinricum. Anno hoc gratum habuit. [Cuius laudem scriptor non persequitur, quia superstes fuit temporis eiusdem.] Ruthardus in insaniam post haec versus est.

Otto dux Baioariorum accusatur reus in regem.

Moguntinus archiepiscopus Sigefridus aderat [etc.].

Palacium perditis moribus plenum erat. Ve enim tibi terra, cuius rex puer est! [etc.]

Imperatrix parvulum peperit regem in Herveldia. [Sapientibus ista sufficiant, alibi plura requirant.]

c) Annales.[1])

MLXV. Rex natalem Domini Goslariae celebravit, pascha Wormaciae. Ubi archiepiscopus Premensis inter sacra missarum solemnia, dum debitum tantae festivitati sermonem faceret, hominem ab infestatione demonis purgavit, fusis pro eo tam suis quam tocius populi qui presens erat precibus.

1) *Vgl. auch Bernheim a. a. O. S. 92–95.*

Ea res grandi miraculo cunctis erat, stupentibus scilicet, quod vir tam pessimae in populo existimationis, qui vitam virtutum non haberet, signa virtutum faceret. Sed emuli eius invidiose hoc interpretabantur, non meritis eius, sed presentium populorum supplicationi asscribendum esse tantae rei effectum. Ibi per concessionem eiusdem archiepiscopi primum se rex arma bellica succinxit, statimque primam susceptae armaturae experientiam in archiepiscopum Coloniensem dedisset et ad persequendum eum ferro et igni preceps abisset, nisi res turbatas imperatrix tempestivo valde consilio composuisset. Inter caetera id potissimum invidiae ei erat, quod ante aliquot annos, dum imperatrici ius regni rerumque gubernacula eripere vellet, ipsum pene regem in ultimum discrimen precipitasset. ...

1071. ... Anno Coloniensis archiepiscopus, expulsis de Salefelt canonicis, vitam illic instituit monasticam, missis eo de Sigeberg et de Sancto Pantaleone monachis. Quo in tempore et ego illuc veni conferre cum eis de ordine et disciplina monasterialis vitae, eo quod magna quaedam et preclara de illis vulgi opinione iactarentur. Denique, sicut vulgo assiduitate vilescunt omnia, et popularium animi novarum rerum avidi magis semper stupent ad incognita, nos, quos usu noverant, nihili estimabant, et hos, quia novum inusitatumque aliquid preferre videbantur, non homines, sed angelos, non carnem, sed spiritum arbitrabantur. Et haec opinio principum quam privatorum mentibus altius pressiusque insederat. A quibus ad populum derivatus rumor tantum terroris plerisque in hac regione monasteriis iniecit, ut ad ingressum illorum alias XXX, alias XL, alias L monachi austerioris vitae metu scandalizati de monasteriis abscederent saciusque ducerent de salute animae in seculo periclitari quam supra virium suarum mensuram vim facere regno caelorum. Et revera non inmerito Dominus super nostrates monachos despectionem effundere videbatur. ... Propter hoc principes regni ad instituendam in Galliis divini servicii scolam Transalpinos monachos evocabant, nostrates autem, quicumque in illorum instituta ultro concedere noluissent, de monasteriis cum ignominia eiciebant. Ego tamen, ut predixi, ad eos veniens et per XIIII ebdomadas apud eos partim in Salefelt, partim in Sigiberg commoratus animadverti nostras quam illorum consuetudines regulae sancti Benedicti melius congruere, si tam tenaces propositi tamque rigidi paternarum nostrarum traditionum emulatores vellemus existere. ...

1074. ... Rûthardus abbas Herveldensis monasterii V. Idus Iunii decessit, vir in sacris scripturis adprime eruditus et sic ad loquendum expeditus, ut nemo illa aetate verbum Dei copiosius, nemo subtilius, nemo elegantius tractaret. Alias in observatione sanctae regulae paululum quam mores et tempora expeterent remissior erat. Is miro iudicio Dei, qui quos diligit corripit et flagellat omnem filium, quem recipit, ante diem mortis suae sensu defecit et per continuos duos annos et sex menses frenesi pariter et epilempsi gravissime vexabatur. Defunctus est autem anno integro et sex mensibus exactis, posteaquam abbatia se abdicaverat. Quod tamen factum adeo penitens deflebat, quotiens a stupore atque hebetudine mentis paululum respiraverat, ut ambiguum esset, morbo an merore gravius acerbiusque tabesceret. ...

Hildebrandus papa cum episcopis Italiae conveniens iam frequentibus sinodis decreverat, ut secundum instituta antiquorum canonum presbiteri uxores non habeant, habentes aut dimittant aut deponantur, nec quisquam omnino ad sacerdocium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque celibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras litteras ad episcopos Galliarum transmittebat, precipiens, ut ipsi quoque in suis aecclesiis similiter facerent atque a contubernio sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hereticum et vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum; qui potest capere, capiat,* et apostolus: *Qui se non continet, nubat; melius est enim nubere quam uri,* violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, et dum consuetum cursum naturae negaret, fornicationi et inmundiciae frena laxaret; quodsi pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdocium quam coniugium deserere, et tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per aecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat et assiduis legationibus episcopos omnes socordiae ac desidiae arguebat, et nisi ocius iniunctum sibi negocium exequerentur, apostolica se censura in eos animadversurum comminabatur. ...

22. Mariani Scotti Chronicon.

Ed. G. Waitz, SS. 5, S. 481–562.

Incipit tertius liber indictione 12.

42. Lentulus et Messala v. clar. et consul. Quirinus ex consilio senatus in Iudaeam missus, census hominum possesionumque describit. Cristus concipitur feria 6. octavo Kalendas April. Iohannes babtista nascitur 8. Kal. Iulii. Dominus noster Iesus Christus, filius Dei, his consulibus Cassiodoro teste in Betelem Iudae octavo die Kal. Ianuarii dominica nocte nascitur. Octavo etiam die dominico circumciditur. Tertio decimo die stella duce a magis adoratur. Quadragessimo die a Simeone et Anna agnoscitur. Deinde precepto dominico in Egiptum propter metum Herodis deducitur.

2. 43. Augustus Cessar 12° et Paulus. Cesar amicitiam cum Parthis facit. Sextus Phithagoricus philosophus claruit.

3. 44. Cossus Lentulus et Pisso. Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptavit. Iudas Galileus ad rebellandum Iudeos cohortatur. Ciclus decenn. incipit indictione 14ª unoque concurrente.

4. 45. Augustus Cessar 13° et Paulus. Herodes cum Christi nativitatem magorum indicio cognovisset, universos Bethelem parvulos iussit interfici.

5. 46. Vincius et Alfenus. Asiniuus[l] Pollio orator et consularis, qui de Dalmatiis triumpavit, 70. aetatis suae anno in villa Tusculana obiit.

6. 47. Servilius et Lamia. Herodes morbo intercutis aque et scatentibus toto corpore vermibus misserabiliter et digne moritur.

7. 48. Aelius et Sentius. In Herodis locum Archilaus ab Augusto substituitur per annos 7, et tetrarchae fiunt fratres eius, Herodes et Antipater et Lisias et Philippus. Iesus Christus dominus noster ex Egipto, angeli angelico precepto reducitur.

8. 49. Cinna et Valerius. Fames Romae ita ingens, ut quinque modii venderentur denariis viginti septem semis. Philistio mimographus natione Magnes. Assianus Rome clarus habetur.

9. 50. Lepidus et Aruncius. Tiberius cesar Dalmatas Sarmatasque in Romanam redigit potestatem.

10. 51. Caecilius et Lenicius. Anthemodorus Tharsensis stoicus philosophus insignis habetur.

11. 52. Furius et Nonius. M. Verrius Flaccus grammaticus clarus.

12. 53. Sulpicius et Poppaucus. Athenienses res novas contra Romanos molientes, opprimuntur, auctoribus seditionis occissis.

13. 54. Dolabella et Silanus. Cum esset Iesus annorum duodecim [hoc est, sicut Hieronymus dicit, cum compleret annos duodecim], inventus est in templo, sedens inter doctores legis, interrogans et audiens illos. Messala Corvinus orator ante biennium quam moriretur ita memoriam ac sensum ammisit, ut vix pauca verba coniungeret, et ad extremum, ulcere circa spinam nato, inedia se confecit, aetatis 72. anno. ...

Romanorum 93. regnavit Cuonradus, Francus genere, annis 15.

1047. 1. 1025.

1048. 2. Ciclus 27. decennovenalis incipit indictione 9. 1026.

1050. 4. [Ego miser Marianus in peccatis fui in hoc anno natus.] 1028.

1053. 7. Aribo episcopus Mogontinus obiit feria 3. 8. Idus April. 1031.

1054. 8. Sanctus Bardo successit annis 20, baculum 3. Kal. Iuni die pentecostes accipiens. 1032.

1055. 9. [Bardo episcopus ab Iohanne papa indictione 15. mense Ianuar. pallium accepit.] 1033.

1056. 10. Moelcoluim rex Scotiae obiit 7. Kal. Decembr. Donchad, filius filiae eius, sibi successit annis 5, mensibus 9. 1034.

1058. 12. Propter religionem districtam disciplinamque nimiam et propter aliquos Scottos, quos secum habebat Helias Scottus abbas, qui monasterium sancti Pantalionis et sancti Martini in Colonia pariter regebat, Piligrinus Coloniensis episcopus, invidiis viris instigatus, Heliae ait, nisi usque dum ipse Piligrinus de curte regia revertisset, nec Helias neque alius Scottus in monasterio Pantalionis fuisset. Tunc Helias atque alii Scotti quibus episcopus dixit condixerunt: si Christus in ipsis fuit peregrinis, ne umquam omnino ad Coloniam vivus venisset de curte episcopus Piligrinus. Et ita Dominus complevit; atque Helias duo monasteria regnavit. 1036.

1059. 13. Piligrinus episcopus Coloniensis obiit 8. Kal. Sept. ... 1037.

1081. 3. Ego Marianus indignus cum Sigfrido abbate Fuldensi iuxta corpus sancti Kiliani martiris Wirziburc consecratus ad presbiteratum, sabbato medie quadragesimae, 1059.

3. Idus Martii, et feria 6. post ascensionem Domini, pridie Idus Maii, inclusus in Fulda per annos 10. Liuboldus episcopus Mogontinus obiit feria 3. 7. Idus Decembris; cui Sigfridus successit.

1082. 4. Sigfridus Fuldensis abbas dominico die 1060. natalis Domini de Fulda ad regiam curtem exiens, baculum Mogontini archiepiscopatus feria sexta in epiphania accepit, papae etiam tunc Nicolai legato Alexandro, qui non longe postea papa effectus est, hoc idem in curte regia annuente. Witratus decanus Fuldensis post eum in Fulda abbas successit ann. 10. Nicolaus papa obiit. Alexander papa 1 ... successit annis 10.

1083. 5. Maiobus abbas Scottorum Coloniae obiit.[1]) ... 1061.

1088. 10. Donnchad oa Mathgamna ri Ulad in tem- 1066. plo Bennchuir verno tempore occiditur. Domnnall oa Loigsig ri Arad iceneol eogaen . ifeltigernaeg cluana eius occissus. Hetbartus rex Anglorum plus 30 annis regnans, obiit in natale Domini.

1089. 11. Araldus sibi successit. Araldus autem, 1067. qui et Arbach vocabatur, rex Nordmanndorum, minus mille navibus venit mense Septembri, Anglicam terram regnaturus. Qui Eburaci in autumno plus quam mille laicorum centosque presbiterorum bello occidit de Anglis. Araldus vero rex Anglorum cum septem acibus belli statim pervenit, et cum Araldum imparatum absque loricis et ceteris eiusdem rei invenisset, bello occidit, mense Octobr. Willihelmus vero, qui et Bastart, cum Francis intrant interim Anglos; qui cum statim bello occidisset Araldum regem Anglorum, regit Anglos. [Hoc anno cometae stella visa est.]

1100. 22. Heinricus ergo rex et Illibrandus papa 1078. convenientes mense Martio in Langobardia, rex a papa solutionem banni, papa vero sedem apostolicam a rege accepit. Convenientes autem Suavi et Saxones et Walp dux Boariorum, episcopi septem de Saxonibus et alii sex, Pataviensis, Salsabogiensis, Wirziburgiensis, Vurmatiensis et Mogontiensis episcopi, iuxta Bamberc dominica tertia quadragesimae, Rodulfum ducem Suaevorum super se constituunt, et dominica mediae quadragesimae Mogontia ungunt in regem, viasque Alpi montis contra Heinricum muniunt. Haec cum cognovit

1) Foillanus post eum successit. *addunt* 2. 2*. 2**.

Heinricus, per Aquileiam Radisbonam post pascha pervenit, et ad Rodulfum in Suaviam contra se certare temptantem festinavit. Cum vero Rodulfus fugit, Heinricus Suaviam predavit. Convenientes quoque circa Renum inter Mogontiam et Wormatiam mense Ag. pugnare prohibiti. Conventione quoque in eodem loco facta in Kal. Nov., Rodulfus Heinrico oviam non venit. Heinricus Suaviam predavit et castella per hiemem fregit.

23. Sigeberti Gemblacensis Chronographia.

Ed. Bethmann, SS. 6, S. 268–374.

Incipit chronica domni Sigeberti Gemblacensis monachi.

Dicturi aliquid iuvante Deo de contemporalitate regnorum, primum pauca dicamus de origine singularum gentium; quatenus sequi poterimus vestigia maiorum, directi per semitas historiarum. Ponemus in prima linea regnum Romanorum, in secunda Persarum, in tertia Francorum, in quarta Wandalorum, in quinta Anglorum, in sexta Langobardorum, in septima Wisigotharum, in octava Ostrogotharum, in nona Hunorum.

De regno Romanorum non aliud dicendum puto, nisi quod Danihel propheta interpretatus est de quarto regno: quod, sicut ferrum comminuit, domat et conterit omnia, sic ab origine sui tutuderit, domuerit et contriverit omnia paene mundi regna; novissimo vero tempore regnum illud, quod in tibiis suis ferreis diutissime et firmissime sine aliqua lassitudine steterat, tandem ferro suae fortitudinis commixto cum testa humanae imbecillitatis, ex alto dominationis suae gradu cum fragore terribili labare coeperit. ...

Originem gentis nostrae, regni scilicet Francorum, notificemus aliis ex relatu fideli maiorum. Post illud famosum et cunctis saeculis et gentibus notum Troianae civitatis excidium, victoribus Grecis cedentes reliquiae Troianorum, pars eorum cum Enea ad fundandum Romanum imperium ad Italiam perrexit; pars una, scilicet duodecim milia, duce Antenore in finitimas Pannoniae partes secus Meotidas paludes pervenit, ibique civitatem aedificaverunt, quam ob sui memoriam Sicambriam vocaverunt. In qua multis annis habitaverunt, et in magnam gentem coaluerunt, et crebris incursibus Romanum solum incessentes, usque ad Gallias ferocitatis suae vestigia dilataverunt. Hos ádeo Romanis infestos

Constans Caesar, filius Magni Constantini, bello oppressit, et tandem Romano imperio subiectos aliquantulum á sua feritate mansuefieri coegit. ...

735. 18. 14. 9. 25. 8. 8.

Obiit sanctus Hucbertus. Karolus Avennionem Galliae urbem á Saracenis dolo et consensu Mauruncii Provinciae ducis captam obsidet, eaque fortiter recepta, Saracenos usque ad internecionem delet. Abhinc regnum Anglorum annotare supersedeo, quia hystorias maiorum, quas sequar, non habeo. ...

1025. 1. 29.

Iohannes Portuensis episcopus, frater Stephani papae nuper defuncti, presidet Romanae aecclesiae 145us. Huic Stephanus papa frater suus apparens, dixit se infernalibus poenis cruciari, sed sperare se interventu Odilonis abbatis veniam posse consequi. Pro quo Odilo tandiu omni orandi genere laboravit, donec sibi revelaretur, se pro illo exauditum esse. Raginardus Leodicensium ordinatur episcopus, qui Leodii in monte publico cenobium sancti Laurentii instituit, eique Stephanum virum sanctae memoriae abbatem primum prefecit. ...

1056. 17. 25. (26.)

Victor papa in Gallias veniens, gloriose ab imperatore suscipitur; et eo presente, non multo post imperator Heinricus moritur, et post eum filius eius Heinricus imperat annis 50.[1])

1057. 1. 26. (27.)

Coloniae generali conventu habito, Balduinus et Godefridus mediante Victore papa ad gratiam regis et pacem reducuntur, et omnes bellorum motus sedantur.

1058. 2. 27. (28.)

In Fresonia captis ab imperatore Heinrico aliquibus castellis, Fresones á rebellione refrenantur. Paderbrunna Germaniae civitas combusta est cum maiori aecclesia. In monasterio autem monachorum Scottus quidam monachus, nomine Paternus, multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium sepe predixerat, propter propositum reclusionis exire nolens, se comburi passus est.

1059. (1060.) 3. 28. (29.)

Fridericus, filius Gothilonis ducis, ex clerico sancti Lantberti septimus levita Romanae aecclesiae, quia exosus erat imperatori Heinrico pro odio fratris sui Godefridi ducis, post legationem Constantinopolitanam apud Casinenses monachus, et postea abbas factus, electione Romanorum Romanae aecclesiae 150^{mus} presidet, alteratus nomine Stephani. In pago Bracbatensi iuxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatae, prodigioso prelio inter se concurrunt; et multis utrinque occisis, victa pars fugiens in cavo arboris se abscondit, altera pars vincentium more insequens, cum sibilo circumstrepebat, donec circumiecto ab hominibus igne omnes concrematae sunt. ...

1074. 18. 14. 8.

Gregorius papa celebrata synodo symoniacos anathematizavit, et uxoratos sacerdotes á divino officio removit, et laicis missam eorum audire interdixit, novo exemplo, et ut multis visum est inconsiderato preiudicio, contra sanctorum patrum sententiam, qui scripserunt, quod sacramenta quae in aecclesia fiunt, baptismus scilicet, crisma, corpus et sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante eorundem sacramentorum effectum, seu per bonos, seu per malos intra Dei aecclesiam dispensentur, tamen quia Spiritus sanctus mistice illa vivificat, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec malorum peccatis attenuantur. Unde est: Hic est qui baptizat. Ex qua re tam grave oritur scandalum, ut nullius heresis tempore sancta aecclesia graviori scismate discisa sit, his pro iustitia, illis contra iustitiam agentibus; aliis á symonia non declinantibus, aliis notam avaritiae honesto nomine pretexentibus, dum hoc quod se gratis dare iactant, sub caritatis nomine vendunt, et ut de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationum artificiosius munera accipiunt; porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo causa questus ac iactantiae simulantibus, multis incontinentiam periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus; ad hoc hac oportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, et se ab omni aecclesiastica subiectione excutientibus. Laici sacra misteria temerant et de his disputant; infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo et crismate utentes; in extremo vitae viaticum dominicum et usitatum aecclesiae obsequium sepulturae á presbiteris coniugatis accipere parvipendunt; decimas presbiteris deputatas igni cremant; et ut in uno cetera perpendas, laici corpus Domini á presbiteris coniugatis consecratum sepe pedibus conculcaverunt, et sanguinem Domini voluntarie effuderunt, et multa alia contra ius et fas gesta sunt in aecclesia; et hac occa-

1) *In 1. primo fuit:* imperat annis , *loco numeri vacuo relicto; nil erasum. In hoc spatium manus alia coaeva postmodum inscripsit* quinquaginta, *quod et reliqui habent omnes. Unus* A. *verba* annis quinquaginta *omittit, unde apparet, ea in prima Sigeberti editione nondum extitisse.*

sione multi pseudomagistri exurgentes in aecclesia, profanis novitatibus plebem ab aecclesiastica disciplina avertunt.

1075. R. 19. F. 15. A. 9.

Heinricus imperator Saxones gravissimo prelio vincit, eosque iterata expeditione perurgens, cunctos eorum principes, episcopos, duces, comites ceterosque potentes, ad deditionem coegit. Ungari contra imperatorem rebellant, regemque suum Salomonem regno deturbatum, sub diutina custodia excruciant. Deoduinus episcopus Leodicensium obit, cui Heinricus vita et genere nobilis succedit. Anno archiepiscopus Coloniensis obit, qui parochiam suam rebus et monasteriis á se fundatis ampliavit, inter quae preminet cenobium Sigebergense.

1076. 20. 16. 10.

Gregorius papa totus in Heinricum imperatorem invehitur, et quoscunque potest ab eo verbis et scriptis avertit; animum etiam Agnetis matris ipsius ab eo alienat. Sicarius in Fresonia Godefridum ducem perimit. Hoc anno, qui est 13. annus primi decennovennalis cicli in repetito magno anno Dionisii, duobus magnis annis á passione Domini revolutis, omnia quae ad cursum solis et lunae spectant, anno dominicae passionis concordant. Unde apparet, quod Dionisius non recte annos Domini ciclo suo annexuit. Quia enim ab anno Domini 532. ciclum suum orditus est, nimirum intendit, Christum fuisse natum anno secundo prioris magni anni; ac per hoc hic annus anno dominicae passionis concordans, debuisset esse magni cicli annus non 13. sed 33. quia is fuit annus passionis Domini. Et per hanc consequentiam solaris et lunaris cursus, concordantem euangelicae veritati, Dionisius posuit nativitatem Christi viginti uno annis tardius quam debuit. Gelu magnum á Kalendis Novembris usque ad aequinoctium vernale.

1077. 21. 17. 11.

Heinricus imperator coacto Wormaciae concilio 24 episcoporum et multorum primatum regni decerni iubet, omnia decreta et facta Hildibrandi papae irrita esse debere; ibique omnes preter paucos Hildibrandum abiurant, eumque papatu abdicandum esse iudicant. Hildibrandus econtra imperatorem Heinricum Romae excommunicat, sub hoc optentu, ut primates regni quasi iusta ex causa excommunicato regi contradicant. Dominica palmarum circa horam sextam sereno celo stella apparuit. Principibus Saxonum, qui in deditione imperatoris erant, relaxatis per eos quibus commissi erant, Saxones rebellant instinctu Hildibrandi papae. Ipse papa occurrens imperatori in Langobardia, sub falsa eum pace absolvit. Omnes enim qui prius Hildibrandum abiuraverant, periurio periurium cumulantes, imperatorem abiurant, et Rodulfum ducem Burgundionum super se regem statuunt; corona ei á papa missa, cui erat inscriptum: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulfo. Hunc Sigifridus archiepiscopus Moguntiae in regem benedixit; et facta á Moguntinis seditione contra eos, Rodulfus cum archiepiscopo noctu aufugit. Hildibrandus papa omnes adversantes imperatori absolvit ab infidelitate et periurio. ...

Imperatore Heinrico morante Leodii, filius eius Aquasgrani venit; et volens venire Leodium contra patrem suum 5. feria dominicae coenae, premisit suos preoccupare pontem apud Wisatum, ne quis sibi venienti obstaret. Sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filii á ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam demersis, aliis occisis; inter quos etiam Bruno comes occisus est. Sic filius contra patrem veniens, rediit inglorius. Coloniensibus fidem imperatori servantibus, at eorum archiepiscopo filium imperatoris contra patrem suum animante, Colonia obsessa oppugnatur, nec tamen expugnatur. Interim Heinricus imperator Leodii moritur, eique succedit filius aequivocus eius....

24. Ebonis Vita Ottonis episcopi Bambergensis.

Jaffé, Bibliotheca rerum Germanicarum 5, S. 580–692.

lib. I, 7. Eo tempore siquidem ecclesia liberam electionem non habebat, sicut postea sub Heinrico quinto, mediante pie memorie Kalixto papa, actum est. Sed cum quilibet antistes viam universe carnis ingressus fuisset, mox capitanei civitatis illius anulum et virgam pastoralem ad palacium transmittebant; sicque regia auctoritas, communicato cum aulicis consilio, orbate plebi idoneum constituebat presulem. Itaque cum, ut diximus, virga pastoralis et anulus episcopi Premensis imperatori offerretur, mox ille, accersito unice dilecto sibi Ottone, munera hec ei conservanda tradidit.

Post paucos vero dies rursum anulus et virga pastoralis Ruperti Babenbergensis episcopi domno imperatori transmissa est. Quo audito, multi nobiles et tam sciencia quam diviciis insignes ad curtem regiam confluebant, qui episcopatum Babenbergensem non mediocri precio sibi comparare temptabant. Imperator vero — gaudens, quod occasionem honorandi intimum secretalem suum Ottonem, ut voluerat,

invenisset – cunctos, qui pro eodem episcopatu adipiscendo satagebant, arguta responsionum ambiguitate suspensos reddidit. ...

lib. III, 9. ... Magnam vero predicationi sue auctoritatem dabat, quia – cum Dominus ordinasset his, qui euangelium annunciant, de euangelio vivere – ipse iuxta apostolum non est usus hac potestate. Quin immo propriis se comitesque suos transigebat sumptibus. Quos statuto tempore ex villis episcopii per fideles nuntios sibi deferri, paterna provisione sollerter disposuerat; omnem derogandi occasionem invidis auferre satagens; ne forte reputarent, eum causa inopie tam remotas adisse regiones; quasi, in terra sua ingruente rerum victualium penuria, in hec opulentissima regna secedens, sub pretextu euangelizandi vite sustentacula argumentose requireret. Quod prudenter animadvertens vir sagacissimi ingenii, numquam ab eis, quibus spiritualia seminabat, carnalia metere volebat; sed nec loco muneris quicquam ab eis percipere consensit. Si vero a primoribus, sibi fidelissima familiaritate adherentibus, quicquam voluntarie offerretur et, ut id susciperet, multa precum instantia constringeretur, ipse, de suis preciosa quelibet eis honorabiliter offerens, maiora dabat quam accepisset; exemplo Salomonis, qui regine Saba, diversas munerum species offerenti, multo plura dedit, quam ab ea consecutus fuisset. Unde etiam pater hic beatus libentissime ab omnibus audiebatur; quia cernebant: eum, tantis redundantem mundialium rerum copiis, pro sola Christi dilectione, non lucri alicuius gratia, officium predicationis arripuisse.

25. Frutolf von Michelsberg, Weltchronik.

= *Recensio A von Ekkehardi Uraugiensis Chronicon universale; Ausgabe von G. Waitz, SS. 6, S. 33 ff.*

Moysen, gentis Hebraicae ductorem, qui primus omnium prophetarum ante adventum domini Salvatoris divinas leges sacris litteris explicavit, Inachi fuisse temporibus, eruditissimi viri tradiderunt, ex nostris Clemens et Africanus, ex Iudeis Iosephus et Iustus, veteris hystoriae monumenta replicantes. Porro Inachus quingentis annis Troianum bellum antecedit. Ex ethnicis vero impius ille Porphirius in quarto sui operis libro, quod adversum nos casso labore contexuit, post Moysen Semiramidem fuisse, affirmat, quae apud Assyrios ante Inachum regnavit annos 150. Itaque iuxta eum 800 pene et 50 annis Troiano bello Moyses senior invenitur. Cum haec ita se habeant, necessarium duxi, veritatem diligentius persequi, et tempora regnorum contra se invicem ponere, ac singularum gentium annos dinumerare, ut quid cuique

coaetaneum fuerit curioso possimus ordine notare. Neque me fugit, in Hebreis codicibus dissonos aetatum annos inveniri, plusque vel minus, prout interpretibus visum est, lectitari, sequendumque illud potius quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. ...

Lamech anno vitae suae 182. genuit Noe, cui divino iubetur oraculo aedificare arcam anno aetatis suae quingentesimo, cum Deus delere disponeret homines propter maliciam eorum. Homines autem illius temporis, qui per ingenium divinitus traditum per tot annorum vitae spacia diversarum artium et disciplinarum repertores erant, cum predixisset eis Adam spiritu Dei plenus, exterminationem omnium rerum, unam ignis virtute, alteram aquarum vi ac multitudine fore venturam, facientes duas columnas, unam quidem ex lateribus, alteram ex lapidibus, studiis suis inventa in his conscripserunt, ne delerentur memoria quae sapienter invenerunt. Quarum lapidea fertur diluvium evasisse et hactenus in Syria permanere. Lamech vero cum esset annorum 777, quinque annis ante diluvium mortuus est. Ex supra dictis autem liquido claret, exordium litterarum ab ipso primo homine coepisse, qui adhuc supererat, quando filii eius in sapientiae studio fervebant.

Noe cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Iafeph, centum annis ante diluvium, in quibus etiam annis arcam fabricavit; sexcentesimo autem eius anno diluvium inundavit. In his ergo generationibus decem ab inicio mundi usque ad diluvium iuxta septuaginta interpretes computantur anni 2262, iuxta Hebraicam vero veritatem 1656, ut sanctus Augustinus testatur. Iosephus autem dicit duo milia 656. Qui etiam dicit: Nullus itaque perscrutetur priscorum fines, quantum cum suis filiis eorumque avis aut atavis suam quis extenderet aetatem, sed tantum ortum eorum et generationes attendat.[1] ...

Eo igitur tempore, hoc est anno 42° Octaviani Caesaris Augusti, ex quo autem Aegyptus in provinciam redacta est et Cleopatra cum Antonio victa anno 28°, quando firmissimam pacem ordinatione Dei Caesar Augustus composuit, nascitur in Bethlehem Iuda dominus noster Ihesus Christus, verus Deus et homo, cui pax ista famulabatur, anno ab inicio creationis mundanae secundum Hebraicam veritatem 3962°[2]), secundum 72 interpretes eorumque sectatores 5201°, a diluvio 2306°, ab Abrahae nativitate 2014°, a Moyse et egressu filiorum Israel de Aegypto 1509°, a Salomone et prima templi aedificatione 1031°, a reaedificatione quae sub Dario facta est 519°, ab urbis Romanae conditione 751°, olympiadis centesimae nonagesimae quartae anno tercio. ...

De successione vero pontificum Romanorum et ordine atque temporibus eorum iam inde a principio et deinceps in plurimis diversa sentiuntur a diversis. Quorum opiniones hic summatim scribere idcirco arbitror non esse ab re, ut et segniores et neglegentiores mei similes ad veritatem rei adtendendam excitentur, et prudentiores ad hanc subtilius investigandam provocentur. Quidam scribunt, quibus et aecclesiastica consentire videtur hystoria, Linum

1) *Vgl. dazu S. 49, Z. 35:* Has igitur diversitates in hystoriis inveniens, sed neutram partem veluti nullius auctoritatis homuncio reprehendere presumens, utriusque notavi opinionem, ut studiosiorem lectorem reddam cautiorem.

2) *deest* 9c.

post passionem Petri apostoli, Romanae sedis 25 annis presidentis, hanc regendam suscepisse, et post duodecim sui regiminis annos, secundo Titi anno, pontificatum Anacleto reliquisse, et hunc item post 12 annos Clementi sedem tradidisse, quod videtur anno Domitiani 12° contigisse, ipsumque Clementem post novem sui pontificatus annos sub Traiano passum; Euaristum quarto eiusdem Traiani anno successisse, huic Alexandrum, illi vero Sixtum, et sic ceteros. Alii vero scribunt, Linum et Cletum sub Petro fuisse, ipsumque Petrum, mox ut pontificatum accepit, Linum pro se in agendis aecclesiasticis, quo ipse liberius predicationi vacaret, ordinasse, illoque post annos 12 decedente, Cletum huic subrogasse; quo etiam item post annos 12 defuncto, eo anno et tempore quo ipse Petrus passus est, scilicet 14° Neronis anno, Clementi sedem commisisse, et ei suisque successoribus ligandi solvendique potestatem, sicut ipse a Christo suscepit, demum tradidisse; et huic passo sub Domiciano Anacletum successisse, cui Euaristum, et huic Alexandrum, et sic ceteros. Quae descriptiones cum sibi multum dissonae probentur, querendum, cui magis credi iudicetur. Consideremus ergo earum inaequalitates.... Haec autem omnia non dico, quasi pro mea garrulitate preiudicium cupiens inferre aliorum me satis satisque precellentium sententiae, sed quasi pro indagandae veritatis cupiditate, stulticiae notandus elogio, sensum meae denudans imprudentiae. Ceterum sapiens quisque pro captu suo deliberet, quid pro vero tenendum diiudicet, ego vero tot et tantas varietates in hystoriographis cernens et pro tenuitate ingenioli mei mecum ruminando et ammirando perpendens, hystorias, passionum libros, chronicorum exemplaria, quae habere potui, diligenter pro meo captu percurri, multaque inveniens scriptorum neglegentia vel imperitia depravata, propter numerorum varietates litteris designatorum, in quibus facile a diligentibus delinquitur, quanto magis a non adtendentibus, dum aut littera pro littera ponitur vel aliqua forte subducitur, in quantum meae licuit rusticitati nulliusque auctoritatis exilitati, quaedam correxi, temporaque pontificum Romanorum temporibus imperatorum, quam diligentius poteram, annexi, et ab hoc anno dominicae incarnationis 46°, qui est primus beati Petri apostoli in pontificatu Romano, etsi non annos presulum singulorum, quos reperire non potui, ordinem tamen cunctorum, sicut ad nos perlatus est, usque in millesimum nonagesimum nonum eiusdem incarnationis annum seriatim perduxi; ubi si sapientum iudicio mea simplex placuerit diligentia nullique veritatis invidentia, gratias Deo; sin autem, melius ostendenti veluti certi et veri cupidus desiderantissime cedo. ...

Anno dominicae incarnationis 254. ab Urbe condita millesimo quinto Decius in Pannonia inferiori Bubaliae natus, 25us ab Augusto, invasit imperium, interfectis eius fraude Philippis, hoc est patre et filio, et 30 mensibus regnavit, id est duobus annis et dimidio. Quidam autem scribunt, eum uno tantum anno regnasse; sed hoc multum discordat a passionibus sanctorum qui leguntur sub eo passi fuisse. Nam cum legatur Fabianus papa 14to sui episcopatus anno martirium sub illo accepisse, et huic Cornelium triennio in sede successisse itemque sub eodem passum fuisse, Sixtum quoque et Laurentium et Ypolitum aliosque quam plures, stare non potest, ut tot sibi in Romana sede succedentes uno anno

trucidaverit, maxime cum Cornelius, ut aecclesiastica docet hystoria, triennio sedem tenuerit. Unde et de ipsorum quoque pontificum successione questio animum pulsat, quomodo, Decio regnum vel uno vel duobus et dimidio anno tenente, Cornelius episcopatum Romanum tribus iuxta aecclesiasticam hystoriam annis tenuerit, eique Lucius per octo menses, Stephanus vero per biennium, dehinc Sixtus per undecim annos, exin Dionisius per novem annos successerit, cum per omnem aecclesiam Cornelius et Sixtus, cuius diaconus erat Laurentius, sub Decio passi predicentur, Lucius vero et Stephanus sub Valeriano et Gallieno martirizati legantur. Qua de re conici potest, successionum vices vitio scriptorum pro similitudine nominum mutatas fuisse; auctoritatem vero catholicae aecclesiae ad nos usque perlatam, probabile est, sequendam esse....

6. A. D. 1006. Epyscopium Babenberg a rege Heinrico constituitur, et Eberhardus ibi episcopus preficitur.

7. A. D. 1007.

8. A. D. 1008. Brun, episcopus ex monacho, a Prucis multis suppliciis afflictus, et manibus pedibusque abscisis, postremo capite plexus, caelos petiit. — Eberhardus episcopus ordinatur.

9. A. D. 1065. Guntherus episcopus Babenbergensis ab Hierosolima rediens, in Pannonia moritur, perlatusque Babenberg, ibi sepelitur; post quem Herimannus ordinatur. — Gozwinus comes in epyscopio Wirciburgensi tyrannidem exercens, a comitibus Adelberonis presulis occisus est.

12. A. D. 1068. Heinricus rex adolescentiae usus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano imperio coepit incolere, principes despicere, nobiles obprimere, inferiores sustollere, venatui, lusibus ceterisque huiusmodi exercitiis plus quam iusticiis faciendis, ut incusatus est, operam dare, filias illustrium quibuslibet obscure natis coniugare, privata presidia, nimirum potentibus regni non satis fidens, instituere. His discordiae seminariis contigit regi quam plurimos insidiatores tam vitae quam regni succrescere. Qui tamen cum maturitatis necdum plene attigisset annos, erant qui non tam ipsum quam Adelbertum Premensem archiepiscopum culpandum iudicarent, quod eius consilio haec omnia ageret.

17. A. D. 1073. Anno Coloniensis episcopus et Herimannus Babenbergensis Romam missi sunt, pecuniam quae regi debebatur congregandi gratia. Qui legatione peracta reversi, litteras Alexandri apostolici detulerunt, regem vocantes ad satisfaciendum pro symoniaca heresi aliisque nonnullis emendatione dignis, quae de ipso Romae fuerant audita. ...

20. A. D. 1076. Habitum est concilium apud Wormaciam, ubi, presente rege Heinrico, universi pene Teutonici episcopi preter Saxonicos Hiltibrandum papam abdicarunt, mittentes ad illum epistolam, post multas culpationes in illum iniectas ita conclusam. ...

21. A. D. 1077. Ruodolfus indigena Sueviae, quae regalis omnino stemmatis est aliena, mediantibus Sigefrido metropolitano et Adelberone Wirciburgensi episcopo, Berhtolfo quoque duce Carinthiae ac predicto Ottone aliisque nonnullis principibus, in presentia quorundam Romanae sedis legatorum, non voluntarie annuentium, apud Forhcheim in regem elevatur. ...

24. A. D. 1080. Cum apud Brixinam Noricam triginta episcoporum conventus necnon et optimatum exercitus, non solum Italiae, sed et Germaniae, iussu regis Heinrici congregaretur, factus est omnium consensus adversus Hiltibrandum papam, cognominatum Gregorium septimum, quem pseudomonachum totiusque vesaniae pestiferum principem et precipue sanctae Romanae sedis invasorem affirmantes, ab apostolica sede depellendum, quamvis absentem, diiudicabant, et Wigpertum Ravennensem archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. Huius decreti conclusio haec est. ...

29. 2. A. D. 1085. ... Notum[1]) tamen est, quod eandem sententiam adversarii imperatoris tanto insequebantur zelo, ut, habito postmodum in Quitilingoburg concilio, ubi Otto episcopus Ostiensis interfuit legatus Hiltibrandi papae, ipsam nimium ventilantes heresim Wecilonis ipsumque, quod dictu nefas est[2]), heresiarchum appellarent, contra fidem scilicet illum dogmatizasse culpantes, quod, quamdiu quis suis spoliatus sit rebus, divinis non subiaceat legibus. ...

42. 15. A. D. 1098. Inquisitione facta Mogontiae ab imperatore de facultatibus Iudaeorum interfectorum, inter ceteros qui eas rapuerunt quidam ex consanguineis archipresulis incusati sunt. Quos cum imperator perquireret, nec in presentiam eius venirent, pontifex causam eorum defendere volens sed non valens, indignatione permotus, ex urbe discessit, et Thuringiam cum eis se contulit, quasi suis in hoc melius prospecturus, et ex vicinitate imperatori rebellium quendam ei terrorem illaturus, sicque commotionis suae vindictam exacturus. Extiterunt autem qui dicerent, etiam ipsum pontificem multam partem de pecuniis invasis accepisse et idcirco defensioni ceterorum tanto studio cor apposuisse. Imperator vero, pontifice sedem suam tam stolide linquente, omnes epyscopii reditus diversasque agendarum rerum amministrationes suis usibus adiecit, fugacium quoque possessiones publicari moeniaque dirui precepit; sicque presul dum aliis

1) Notum – legibus *desunt* C. 2) quod – est *delevit* 1.

prospicere quodam fastu inconsulte meditatur, ipse sicut et antecessor eius circumvagus multis commoditatibus privatur.[1])

26. Ekkehard von Aura, Weltchronik.

SS. 6 (vgl. die vorige Nr.).

a) Rezension B.

A. D. 1099. Heinricus imperator natalem Domini Coloniae celebravit; in epyphania vero Aquisgrani filium suum iuniorem Heinricum quintum regem fecit, reprobato maiore filio Chuonrado, quem prius coronavit. Chuonradus vero causam rebellationis suae paucis tantum sibique familiarissimis in regno detegens, assumpto quodam ex ordine ministerialium patris, aeque Chuonrado nomine, forti admodum et prudenti viro, per quasdam Italiae partes et nomen et dignitatem regis annis fere 9 obtinuit, tantum indolis suae per orbem Romanum diffundens interim odorem, ut nemo religiosus, nemo sapiens in ipso salutem rei publicae constituendam fore dubitaret. Erat enim vir per omnia catholicus et apostolicae sedi subiectissimus, plus religioni quam fascibus vel armis deditus; fortitudine tamen et audacia satis et super instructus, lectioni quam lusibus vacare malebat; miseris omnimodis, sed precipue militibus inopia strictis, compassione et misericordiae fructu proximus fiebat; nemini contemptum, nemini vim, nemini preiudicium intendens, omni personae omnique conditioni fuit affabilis; indeque non immerito Deo et hominibus semper extitit amabilis. Coelibatus pudorem perpetualiter servare cum proposuisset, coactus tamen a suis filiam Ruotkeri ducis Siciliae, famosissimi pene nostrorum temporum viri, duxit uxorem, cuius tam caste usus est coniunctione, ut vix crederetur eam unquam cognovisse. Legale illud preceptum: Turpitudinem patris tui non revelabis, itemque: Honora patrem tuum, murmur, quod per totum Romanum imperium patris sui mores laniabat, quodque ipsum sibi offensae patris ac suae ab illo discessionis causa extitit, auribus propriis nunquam patiebatur inferri, semper illum dominum suum et caesarem vel imperatorem cognominans; universos a palatio patris adventantes sub appellatione conservorum, licet infimos, sociali benivolentia tractans. Preter animi virtutes morumque compositionem corpore fuit apprime decorus ac statura procerus. ...

A. D. 1102. Imperator Heinricus, habito cum principibus colloquio[2]), Romam se profecturum ac generale concilium circa Febr. Kalendas inibi convocaturum condixit, quatinus, tam sua quam domni apostolici causa canonice ventilata, catholica inter regnum et sacerdotium confirmaretur unitas, quae tot annis scissa permansit. Constat tamen, nec ipsum iuxta placitum venisse, nec nuncia dignitati apostolicae subiectionem profitentia misisse. Nec hoc latet, quod alterum papam ipsi domno Paschali superponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit.

1) Imperator – privatur *etiam in 1. leguntur, sed ab auctore postea deleta sunt.*

2) C. *pergit*: tractare cepit, si fieri posset, Romam se circa Kal. Febr. profecturum, quatinus – unitas confirmaretur. Ipso autem aliis negociis impedito, transacta media q. etc.

Transacta post haec media quadragesima, convenientibus universis Apuliae, Campaniae, Siciliae, Tuscaniae totiusque simul Italiae presulibas, ultramontanorum autem quam plurimorum patrum legatis, synodus magna Romae est habita, ubi preter antiqua patrum instituta more solito reverenter confirmata, etiam sepedictum nostri temporis scisma inter precipuas hereses computatur, ac perpetuo cum suis auctoribus atque sequacibus anathemate huiusmodi subscripta professione condemnatur.... Ibi etiam quam sententiam in imperatorem vel patricium Romanum Heinricum idem apostolicus Paschalis promulgaverit, nos quoque inter innumeras diversarum gentium catervas proxima coena Domini in aecclesia Lateranensi ab ipsius ore didicimus; nimirum postquam 8. Kal. Octobr. maris fluctibus Ioppe traditi, Romae sumus per Christi gratiam predicta maiori ebdomada introducti. ...

A. D. 1105. Dum imperator Heinricus natalem Domini Mogontiae celebrat, Heinricus, filius eius, nominis illius quintus rex dictus, rebellationem adversus patrem in Baioaria parat, machinantibus scilicet Diotpaldo marchione, Berngero comite, et Ottone quodam nobili viro sibique materna stirpe cognato, quorum consilio et adiutorio ante paucos dies a patris latere discesserat. Primo quippe heresim prescriptam anathematizans, apostolicae sedis pontifici debitam profitetur obedientiam, indeque foederatis sibi Noricis principibus, atque ab Alemannia necnon orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones convertitur. A quibus honorifice susceptus, et in Quitilingeburg pascha celebrans, in brevi universis Saxoniae civitatibus potitus, et optimatibus est dignitate regia satis honoratus. Consilio tamen atque ministerio Ruothardi Mogontini atque Gebehardi Constantiensis episcopi, responsalium scilicet domni Paschalis papae, totam Saxoniam Romanae aecclesiae communioni reconciliavit, episcopis vero atque clericis conventum generalem in villam regiam quae Northusun dicitur 4. Kal. Iunii, ubi super aecclesiasticae institutionis iam depravata disciplina tractaretur, indixit. ...

Sic [scil.: rex] inacte discedens, Wirziburg devenit, Errolongum [1]) quendam, quem dudum Emehardo defuncto presulem imperator designaverat, expellens, Ruotpertum, eiusdem aecclesiae prepositum, et [2]) tam prius quam tunc a clero et populo electum, per predictum archiepiscopum Ruothardum inthronizavit; sicque aecclesia eadem apostolicae communioni reconciliata, ac securitate ab urbanis accepta, dimissis Saxonibus, ipse cum Baioariis ad obsidium castelli Nourinberc conversus, illudque post duos vel amplius menses prospere capiens, soluto exercitu, Ratisponae se contulit. Quem pater e vestigio subsequens, Errolongum Wirziburgensibus, fugato Ruotperto, restituit, indeque omnia quae fautorum erant filii devastans, tandem faventibus sibi dolis Ratisponensium, filium urbe fugavit. ...

b) Rezension C.[3])

Heinricus rex adolescens magnanimitate tactus innata, cepit ex laboribus multis licet bene providi patris sui, simul etiam ex frequentibus corporis eius molestiis fortunae volubilitatem rerumque varietatem prospicere, precavensque ne forte inopinatus patris obitus se nondum amicis vel militibus plene instructum vel etiam bellicis in rebus specialiter glorificatum reperiens, aliquam sibi regnandi scrupulositatem pareret, non contentus palatio paterno, nec communi, licet per omnia augustissimo, convictu, in Baioariam se contulit, ibique principibus illis, quorum aliquos maternae stirpis propinquitas attraxerat, foederatus, per se ipsum iam rei publicae consulere ut rex et regis filius institit. Primo itaque per Gebehardum Constantiensem episcopum, tunc temporis responsalem Paschalis papae, Romanae sedi per debitae oboedientiae professionem unitur, indeque assumptis nonnullis Noricis necnon ab Alemannia vel orientali Francia quibusdam nobilibus, ad Saxones convertitur. A quibus honorifice susceptus et in Quitilingeburg pascha celebrans, in brevi universis Saxoniae civitatibus potitus, et ab optimatibus est dignitate regia satis honoratus. Sunt qui dicant, ipsum discidium industria ipsius imperatoris, cuius circumspectioni vix quisquam posset aequari, provisum, quatinus simulata discordia illam partem regni quae a patre deficiebat in filii traheret artificiose contubernium, scilicet ne locus ullus vel copia foret adversariis, sibi caput aliud facere veraciter inimicum. Nos tamen divina procul dubio dispensatione totum id gestum credimus, remque ipsam Deo annuente ex fructu bono comprobabimus. Nam literis domni Paschalis papae instructus atque consilio at ministerio Ruothardi ... [= *B, vorige Seite Z. 27*].

[Sic ... devenit *vgl. Rez. B, vorige Seite Z. 34*], ibique extra civitatem castra posuit. Successerat eodem anno, defuncto Emehardo episcopo, vir singularis probitatis et eximiae prudentiae Babenbergensis aecclesiae canonicus Erlungus, qui a viro scolasticissimo Meginhardo, avunculo scilicet suo, eiusdem sedis dudum episcopo, diligentissime educatus et apprime liberalibus disciplinis instructus, ob famae suae bonum odorem de claustro Babenbergensi in palatium assumptus, cancellarii per aliquot annos strenue rexerat officium, indeque tam cleri quam populi consensu Wirciburgensem sortitus est episcopatum. Is virtutem boni operis perseverantiam esse considerans, maluit, quandoquidem necdum erat consecratus, loco cedere quam ab imperatore, cui eatenus indefessa sinceritate servierat, vel minima infidelitate notari. Quo cedente, rex Ruotpertum ... [*vorige Seite Z. 36*].

1106. ... Rex enim inter ipsa paschalia festa, quae tunc pro eventu rei Bunnae celebrabat, Heinricum ducem, iudicio optimatum reum maiestatis et hostem rei publicae, ducatu privat, ac generalem expeditionem contra Lotharingiam, accepto a principibus sacramento, per totum regnum indicit et preparat. Mense dehinc Iunio fere mediante cum viginti milibus pugnatorum Coloniam Agrippinam obsedit. ... Ibi etiam Dietericus comes, regi fidelissimus, infirmitate pressus, communi fine migravit, vir utique nobilissima Saxonum stirpe progenitus, et tam omnigenae religioni quam catholicae defensioni non mediocriter deditus, literis etiam non minime instructus. ...

Tunc quoque temporis cum pater regis Leodio moraretur – nam Leodienses illi antiquo affectu fideliter adherebant –, crebra hinc crebra inde nuncia vel literae discurrebant. Inter quae dum nihil minus expectaretur, imperatoris egrotatio, postque brevem

1) Erlungum, quem D. E.
2) et tam – electum *desunt* C. D. E.
3) *Vgl. auch Rez. B, S. 71 Anm. 2 und S. 72 Anm. 2.*

languorem obitus eius in castris diffamatur. Referunt qui aderant, bona illum confessione nec sine magna fiducia finem vitae fecisse, rebusque suis per omnia dispositis, nunciis quoque tam ad apostolicum pontificem quam ad filium regem destinatis, sumpto viatico, velut obdormiens expirasse. Annis 50 Romani imperii gubernacula tenens, Romanis nunc voluntariis pie consuluit, nunc ingratis et regnum Teutonicum humiliare nitentibus necessario restitit, vir strenuus et bellicosus, omni personae, omni aetati, omnique rei sibi congrua impendere solitus, et vix quicquam ignorare passus. More patris sui clericos et maxime literatos adherere sibi voluit, hosque honorifice tractans, nunc psalmis nunc lectione vel collatione, sive scripturarum ac liberalium artium inquisitione secum familiarius occupavit. Pluribus etiam testibus approbare poterimus, quod nemo nostris temporibus natu, ingenio, fortitudine et audacia, statura quoque totaque corporis elegantia, fascibus aptior videretur imperialibus. Pre omnibus regni sui aecclesiis Spiram maxime coluit, eamque regio et mirifico opere et honore ampliavit; ibi etiam nunc iuxta maiores suos, presente filio suo cunctisque regni principibus honorifice humatus, requiescit.[1]) ...

1112. Sigifridum comitem, diutina satis afflictum custodia, iuxta principum consilium atque petitionem sibi reconciliatum dimittens, benigne tractare cepit, adeo ut eius filium de baptismate susciperet et iniuriarum preteritarum oblivisci se facturum sponderet. Eo tempore predictus Adelbertus designatus Mogontinus pontifex, qui per omnia secundus a rege semper fuerat, sine cuius consilio nihil facere solebat, adversus imperatorem — quod vix quisquam crederet — conspirare cum quibusdam principibus infamatur, reque cognita, custodiae ab illo traditur.

c) Rezension D (und E).

Aureis tuis, o rex in aeternum victure, temporibus ego tantillus homuncio Ekkihardus post annosas miserias redditus, ac post deflorata diversorum chronographorum opuscula, ab ipso temporum exordio temporum decursus ferentem carinam per multimodas Charibdis atque Scillae comminationes tandem gloriosi tui imperii iam portui delatam speculando, ultra omnem humanae estimationis modum letificatus, non inconvenienter, ut arbitror, stilo libertatis premium, quod oppido iam lassus exoptat, denego; immo ipsum tuis amodo preconiis pro viribus ac ultra vires inserviturum, quamdiu his regitur artubus, devotissime subiugo. Quidni? Te quippe multis iam in tristicia sedentis, domine gentium, ploratibus a patre spirituum tandem et vix impetratum caput, non immerito quodque catholicum et orthodoxum eiusdem aecclesiae membrum quocumque prevalet favore prosequitur, tibi Romanus a pulvere iam expergiscens orbis a mari usque ad mare, immo totus a solis ortu usque ad occasum mundus, inenarrabili tripudio congratulatur. In te suscitatum David germen iustum universa sanum sapientia corda speculantur; sed precipue Deo servientium personae undique prorumpentes e latibulis, lumen te sibimet in tenebris exortum, divina quedam de te presagia conferentes, tempus iam venisse miserendi sui testantur, de tua

1) *Vgl. dazu Rez. D und E.*

indole quid iustum audire vel sanctum, sanctae quevis animae sui erga Christum regem servitii fructum esse confidenter arbitrantur. Beata erit, et ultra ipsas avitae maternaeque stirpis magnificentias gloriosior producetur aetas tua, si mansionem in augustissimo tuo pectore fecerit Spiritus, quem die noctuque universa Deo placentium tibi exoptant et imprecantur vota.

Explicit Prologus.

1106. ... Rex enim ... preparat [*s. Rez. C, oben S. 73 Z. 15 v. u. — 11 v. u.*]. Quo dehinc superioribus se partibus conferente, pater se Coloniensibus reddit, et episcopo pulso, civitatem ipsam vallis et propugnaculis omnique repugnandi genere permagnifice munivit; ipseque cum fidelissimis suis Leodio se contulit.

Igitur mense Iunio iam fere mediante, rex Heinricus cum exercitu copioso, id est 20 milibus, Coloniam Agrippinam obsedit. ... Ibi etiam ... deditus [*s. Rez. C*], litteris etiam aliquantum instructus. Interea regi Heinrico patris legati de Leodio missi presentantur, litteras tam sibi quam principibus regni deferentes, quarum exemplar hic inseri non absurdum duximus, ob comprobandam scilicet eiusdem viri multimodam tergiversationem, qua se toto vitae suae tempore cunctis sibi resistentibus ficta subiectione eatenus fecisset superiorem. ...

Hic finis, hic interitus, haecque sors ultima Heinrici, illo sub vocabulo quarti Romanorum imperatoris a suis appellati; a catholicis vero, id est cunctis beato Petro suisque successoribus fidem et obedientiam lege christiana conservantibus, archipyrata simul et heresiarcha necnon et apostata persecutorque plus animarum quam corporum competenter dicebatur; utpote qui nec naturalibus nec consuetudinariis contentus sceleribus, nova et a seculis inaudita ideoque nonnulla incredibilia excogitasse et exercuisse infamabatur. Quae si quis, illorum arbitratu qui tam perperam quam recte ab imperatoribus gesta litteris digna iudicant, scribere velit, nos loco cedimus, maxime cum aliqua ex his oblivioni potius quam memoria digna non dubitemus. Pluribus autem testibus comprobare poterimus, quod nemo nostris temporibus, natu, ingenio, fortitudine et audacia, statura etiam totaque corporis elegantia, videretur fascibus imperialibus ipso aptior, si tamen in conflictu vitiorum homo non degeneraret vel succumberet interior. Porro cum non pauci supersint, idemque in sublimitatibus constituti, quos operum eiusdem viri cooperatio redarguit, unum est quod, licet nimis timidi, suggerimus, quatinus ipsum condempnationis eius exemplum sibimet in remedium vertant, nec honoris prave consecuti florem, sed semen adtendant, satiusque ducant, malis plantariis eradicandis insudare, quam fructum inde perpetuae mortis in futurum carpere. Alioquin desipere nimis est, vulnus ferro plenum sanari credere, Deo simul et mammonae deservire velle; monstrique simile est, ex pharisaicae elationis fastigio, ipsoque, ut dicunt, mercede sacrilegiorum ascenso, apostolicae humilitatis dignitatem usurpare, ab apostasiae semine fructum hierarchiae sperare. Haec hactenus. Deo autem gratias, qui, licet tarde, tamen permagnifice, victoriam concessit aecclesiae suae; cui etiam eiusdem Nabuchodonosor quinquagesimum exactionis annum idem Galileus, qui Iulianum quondam vicerat, vertit in iubileum. Si quis vero tam zelotes est, cui quasi diem interitus Aman etiam

Heinrici obitum per aecclesiae posteritatem ignorari non libeat, 7. Idus Augusti hanc esse sciat, quo scilicet die primo matrem suam aecclesiam apud Unstruot invadens, innumeras animas ad inferos premisit, eademque die Martis, qua etiam cuncta sua praelia, paganico nimirum auspicio, perpetrare consuevit. ...

A. D. 1112. Sigifridum ... sponderet [= *Rez. C, oben S. 74, Z. 21–24*]. Eo tempore domnus apostolicus multas a Romana aecclesia passus est iniurias, obicientibus ei, quod contra instituta totius aecclesiasticae disciplinae regem Heinricum, tyrannicum rei publicae vastatorem et aecclesiarum destructorem, imperiali benedictione sublimasset, insuper privilegio sacrilegio condonasset. ...

A. D. 1117. Dum cuncta per circuitum regna nationum, suis limitibus rebusque contenta, diu sanguine madentes gladios caeteraque vasa mortis iam in vagina concordiae reconderent, universalis etiam aecclesia mater, post numerosa persecutionum, heresium ac scismatum bella, iam sub vera vite Iesu lassa oppido membra per multas gratiarum actiones mandatis divinis inservitura locaret: solus heu! Teutonicus furor, cervicositatem suam deponere nescius, et quam multa sit pax legem Dei diligentibus, immo qualiter per presentis prosperitatis tranquillitatem ad aeternae visionem pacis pertingi possit, ediscere nequaquam voluntarius – solus, inquam, nostrae gentis populus, dum pre omni terrarum orbe in perversitatis inolitae pertinacia incorrigibiliter perstitit, indeque iam periurium et mendacium caeteraque quae vox lamentatur prophetica inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit: nec minus quam quondam Sodomorum et Gomorreorum clamor huiusmodi in aures Domini Sabaoth introiit. Quapropter inter ipsa dominicae nativitatis festa, 3. Non. Ianuarii hora vespertina, super tantis divini iudicii contemptibus commota est et contremuit terra, ab ira nimirum furoris Domini, adeo ut nemo inventus sit super terram, qui tantum se unquam sensisse fateatur terrae motum. Nam multa inde subversa sunt aedificia, civitates etiam quasdam subrutas dicunt in Italia. ...

1125. ... Hoc tempore, scilicet in ipso sacrosancto paschae sabbato, desideratissimus nobisque caelitus provisus provisor noster, Otto presul, post multas pro Christo tribulationes emersas gregem sibi commissum revisit; nec aliter quam Christus ipse christus Domini susceptus, gavisis discipulis gaudium dominicae resurrectionis duplicavit. ...

Hic [sc.: Heinricus imperator], ut prescriptum est, primo sub specie religionis patrem excommunicatum imperio privavit; confirmatus in honoribus mores mutavit; sed post iniurias apostolicae sedi illatas semper se ipso inferior fuit, iusticiis regni non multum invigilavit; acer fuit ingenio, fortis et audax licet parum felix in praeliis, nimius in appetendis alienis. Pecunias, ut aiunt, infinitas congesserat; quas, secundum scripturas, cui thesaurizasset, ipse sine liberis obiens, heu! heu! ignorabat.

Hoc etiam anno nonnullos ex nobilibus una cum innumera multitudine vulgarium seviens mortalitas absumpsit. Inter quos Oudalricum Eihstatensem ac Ruggerum Wirciburgensem, Arnoldum quoque, comitis Arnoldi filium, bonae indolis adolescentem, pluresque alios sors ultima pressit. Nam post vulgi stragem immensam tam fame quam pestilentia iudicio divino patratam, lues tanta tamque indifferens per populos ubique grassari coepit, ut

nulli conditioni, sexui vel aetati parcendum fore mors minitaretur pallida, vixque vivi sufficerent ad curanda defungentium cadavera.

27. Annalista Saxo.

Ed. G. Waitz, SS. 6, S. 542–777.

A. d. i. 830. Michael imperator Constantinopolitanus obiit. Secundum quosdam invenitur, quod in hoc Lodowicus imperator a filiis suis regno depositus fuerit. Eodem anno habuit generale placitum Attiniaco, ibique Lothario regnum dedit Italiae. Corpus sancti Aurelii confessoris de Mediolanensi civitate translatum est, et Hirsaugia primum fundata. Que per multa tempora sub constitutis patribus effloruit; postmodum expulsis monachis, canonici pro his sunt constituti.

A. d. i. 831. Hun abbas Herfeldensis et Rabanus abbas Fuldensis fundamentum ecclesiae sancti Wicberti in Herfeldia fodere coeperunt 6. Idus Iulii feria 2. Lodowicus imperator magnum conventum in Noviomago habuit. Amularius librum de officiis ecclesiasticis ad Lodowicum imperatorem scripsit. Angelomus etiam ad eundem tractatus in libros regum dedit. Corpora sanctorum Valentis, Senesii et Theopontii in Augiam insulam delata sunt. Theophilus, filius Michaelis, regnavit Constantinopoli annis 12. Item secundum quosdam invenitur, quod hoc anno imperator miserit Romam Adelongum et Hunfridum ducem, in quorum praesentia Paschalis papa supradictus de obiectis se purificaverit, quodque eodem anno obierit eique Eugenius successerit; qui error scriptoribus inputetur. Idem Pascalis papa scripsit Mediolanensi eclesie de simoniaca heresi epistolam valde utilem. Walandus episcopus Leodicensis obiit; cui Erardus successit.

A. d. i. 832. Lodowicus Pius inperator votum parentis sui inplere cupiens, Hammanburch civitatem Transalbianorum metropolim statuit omnibus barbaris nationibus Danorum, Sueonum, Sclavorum et aliis in circuitu coniacentibus populis, eique cathedre primum archiepiscopum ordinari fecit Ansgarium, anno Willerici Bremensis episcopi 43°. ...

A. d. i. 836. Britones foedera violant, et rebellare incipiunt cum duce suo nomine Murmanno; contra quos imperator exercitum produxit, sed non adeo praevaluit. Iudith imperatrix vi velata, a privignis custodienda dirigitur ad Diertonam Italiae civitatem. Lodowicus imperator comprehenditur, et Pippino discedente in Aquitaniam, Lodowico in Bawariam, a Lothario tertio Aquas usque deducitur, ibique recluditur. Adventus sancti Viti fuit in Saxoniam ad Novam Corbeiam. Corpus sancti Liborii episcopi de Gallia in Saxoniam translatum est.

A. d. i. 837. Lotharius timore fratris sui Lodowici ad Compendium cum patre divertit; quem insecutus Lodowicus cum Drogone Metensi episcopo et ceteris fidelibus, fugam inire compulit, et patrem Aquis reductum in sede sua restituit, Remensem archiepiscopum Ebbonem, degradatorem eius, custodie mancipavit; quamvis alibi inveniatur, quod anno dominice incarnationis 835° Ebbo sit depositus et Hildinisheim clementia inperatoris relegatus. In hac diversitate eligat quisque, quid sequatur. Prefuit autem Hildinisheimensi eclesie annis 12, et episcopalem ordinem, ut sibi videbatur, exercuit. Hatto Basiliensis ecclesiae episcopus obiit.

Murmanus rex Brittonum moritur, et Numonoio apud Ingelinheim ducatus ipsius gentis traditur. Willericus secundus Bremensis episcopus moritur; cui Leudricus ordine tercius successit.

919. ... Exhibitam sibi [sc.: Heinricus] more priorum ab Herigero Mogontino archiepiscopo episcopalis unctionis benedictionem nec desideravit nec suscipere voluit, sed se ad hoc prorsus indignum affirmavit, Satis, inquiens, michi est, ut pre maioribus meis rex dicar et designer, divina annuente gratia et vestra pietate; penes meliores nobis vero unctio ac diadema sit; tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit sermo coram universa multitudine, et dextris in celum levatis, nomen novi regis cum clamore valido frequentabant. Ita Heinricus, cognomento Auceps, communi consensu Francorum, Alamannorum, Bawariorum et Saxonum electus, seculari dignitati Dei cultum pretulit, inopum et viduarum fautor mestorumque consolator, inicium regni sui disciplina servande pacis inchoavit. ...

1016. ... Heinricus comes, filius Heinrici de Stathe, in Christo et in seculo multum valens, iusta senectute in bono fine obiit 6. Nonas Octobris. Uxor eius Mactildis dicebatur, floruerantque uterque in omni bonitate; unde usque hodie multi frequentant sepulcra eorum, ubi mira quedam dicuntur visa; de quibus est unum. Mater Friderici comitis nuper defuncti cum staret super sepulcrum eius, subito venit manus et apprehendit tibiam eius et valde constrinxit. Cumque vocem emitteret, interrogata quid sibi esset, dixit quid senserit, et in tibia ostendit signum digitorum; quod et habuit toto tempore vite sue. Eodem anno Wigmannus comes, patrie per omnia utilis, hortatu altere Herodiadis servili presumptione miserabiliter periit. ...

1068. ... Omnibus his nefarium illud addidit, quod episcopos statuebat non pro qualitate meritorum; sed si quis maiorem pecuniam dedit vel maior flagiciorum eius adulator fuit, hoc dignior episcopatu fuit. Sed si alius plus illo daret vel magis eius facinora laudaret, priorem ut simoniacum deponi et hunc quasi sanctum consecrari faciebat. Unde multas civitates contigit illis temporibus duos episcopos habere, quorum neuter episcopatu dignus esset. Preter hec omnia ferebat imaginem quandam ad instar digiti, ex Egipto adlatam, adorare; a qua quociens responsa querebat, necesse erat homicidium aut in summo festo adulterium procurare. Infeliciter ergo vixit, quia sicut voluit vixit.

A. d. i. 1137. ... Tempora ipsius [sc.: Lotharii] iocunda fuerunt. Nam bona aeris temperie, omnigena terre fertilitate, cunctarum rerum copia, non solum per regnum, sed et per orbem exuberabat. Merito a nobis nostrisque posteris pater patrie appellatur, quia erat egregius defensor et fortissimus propugnator, nichili pendens vitam suam contra omnia adversa propter iusticiam opponere. Et ut magnificentius de eo dicamus, in diebus eius populus terre non pertimuit. Unusquisque enim sua liberaliter pacificeque possidebat. Corpus eius delatum in patriam sepelitur regio more in hereditate paterna in loco dicto Lutheron. Marchio Adalbertus, collecta valida manu, hiemali tempore terram Slavorum predabundus perambulavit. Meingotus Mersburgensis episcopus de expeditione usque in Sueviam languens perductus obiit; cui successit Ekkilesus. Gerburh abbatissa Quidelingeburgensis obiit.

A. d. i. 1138. ... Principes conmunicato consilio decreverunt generalem conventum in pentecoste Mogontie fieri, ut conmuniter regno preficerent, quemcumque Deus ad id preordinasset. Sed Conradus Suevus, frater Friderici ducis, quondam usurpator regii nominis, factione Adalberonis Treverensis archiepiscopi et quorumdam principum Confluentie feria 2. dominice Oculi mei, successitque provectus in regnum Romanorum a Thietwino cardinali episcopo consecratus, regnavitque 84° loco ab Augusto anno ab Urbe condita 1890°, ab incarnatione Domini 1138°. Ad huius tamen negocii honorem multorum magnorum principum consensus est minime requisitus. Qui Conradus regalia, que Heinricus dux Bawarie, qui et dux Saxonum, gener Lotharii imperatoris, sub se habuit, callide adquisivit, et eundem ducatu Saxonum privare voluit, dato eodem Adalberto marchioni. Cuius electioni a nonnullis, presertim Saxonie principibus, contradicitur. ...

28. Die Kaiserchronik eines Regensburger Geistlichen.

Hrsg. von Edward Schröder. Mon. Germ., Deutsche Chroniken 1 (1. Abteilung, 1892).

In des almähtigen gotes minnen
sô wil ich des liedes beginnen.
daz scult ir gezogenlîche vernemen:
jâ mac iuh vil wole gezemen
ze hôren ălliu frumichait.
die tumben dunchet iz arebait,
sculn si iemer iht gelernen
od ir wîstuom gemêren.
die sint unnuzze
unt phlegent niht guoter wizze,
daz si ungerne hôrent sagen
dannen si mahten haben
wîstuom unt êre;
unt wære jedoch frum der sêle.
Ein buoch ist ze diute getihtet,
daz uns Rômisces rîches wol berihtet,
gehaizzen ist iz crônicâ.
iz chundet uns dâ
von den bâbesen unt von den chunigen,
baidiu guoten unt ubelen,
die vor uns wâren
unt Rômisces rîches phlâgen
unze an disen hiutegen tac.
sô ich aller beste mac
sô wil ich iz iu vor zellen.
iz verneme swer der welle.
Nu ist leider in disen ziten
ein gewoneheit wîten:
manege erdenchent in lugene
unt vuogent si zesamene
mit scophelîchen worten.
nû vurht ich vil harte
daz diu sêle dar umbe brinne:
iz ist ân gotes minne.
sô lêret man die luge diu chint:
die nâch uns chunftich sint,
die wellent si alsô behaben
unt wellent si iemer fur wâr sagen.
lugene unde ubermuot
ist niemen guot.
die wîsen hôrent ungerne der von sagen.
nû grîfe wir daz guote liet an.

swer daz liet vernomen habe,
der sol einen pater noster singen
in des hailigen gaistes minne:
ze lobe sancte Silvester dem hailigen hêrren,
und ze wegen sîner armen sêle
der des liedes alre êrist began;

Mit der vursten râte
der chunich îlte dô drâte,
er huop sich ze Rôme.
dô wîhte in scône
der bâbes Benedictus.
dô ladete ouch in der kaiser zu hûs
in die stat ze Bâbenberch,
daz er dâ gestætigete sîn werch.
daz widerte der biscof Hainrîch,
er sprach, daz wære ungewonlîch,
daz man im sîn bistuom benæme,
daz Bâbenberch ain roup wære.
Mit der vursten gelubede
so gerieten si dem chunige –
des half der bâbes Benedictus,
den strît den gescieden si alsus,
daz der chaiser der Franken herzentuom
gab dô ûf das bistuom.
swer den gewalt besizzet,
daz er in iewederem taile rihtet,
er ist herzoge unt biscof.
daz urchunde habent si noch.

Die vursten lobeten dô ain sprâche
hin ze dem stuole ze Âche.
die vursten chômen dâzesamene,
biscove manige;
si rieten listeclîche,
wâ si in dem rîche
dehainen vursten næmen
der dem rîche wol gezæme.
dô hôrten si diche wol loben
von Sahsen ainen herzogen,
den guoten Liuthêren
si ladeten in mit grôzen êren.
Ir boten scuofen si dô dar zuo,
die arbaiten spâte unt fruo,
daze Brûneswîch si in dô vunden.
an den selben stunden,
alse er daz mære vernam,
vil sciere besant er sîne man,
er sprach, ir rât wolt er haben,
ob irz mit ihte wideren mâhte.
er sprach, daz er netohte
ze hainen grôzen arbaiten mêre.
daz widerrieten im die hêrren.
jâ sprâchen die hêrren alle,
im solte wol gevallen,
daz in die vursten lobeten
ze rihtære und ze vogete.
mit râte si in | beviengen,
daz si in sîn ze jungest ubergiengen,
daz er ze Megenze gerait.
daz was zwein gebruoderen lait,
der aine hiez Chuonrât, der ander Friderîch,
vil tiure vermâzen si sich,
er newurde niemer mêre
ir chunich noch ir hêrre.

Under diu wart ze Rôme ein strît:
jâ huoben si wider ainander grôzen nît,
si sazten zwêne bâbes an den stuol.
der chunich Liuther dar mit her vuor.
mit râte der vursten gemaine
so verwurfen si den ainen,
der dâ Pêtrilêwes hiez,
von dem stuole man in stiez
si gevestenôten Innocentium.
wider got nemac niemen niht getuon.

Jâ rihte der kaiser Liuther –
daz saget daz buoch vur wâr –
rehte zwelf jâr,
zwelf wochen unde zwelf tage.
swer daz liet vernommen habe,
der sol ain 'pater noster' singen
dem almähtigen got ze minnen
des chaiser Liuthêres sêle.
er was wol des rîches hêrre
bî im was der fride guot,
diu erde wol ir wuocher truoch,
er minnet alle gotelîche lêre
unt behielt ouch werltlîch êre.
er vorhte mînen trêhtin,
sam tet diu sælige chunigîn:
die armen si bewâten,
die nôtigen sie berieten,
die haidenscaft si bedwungen.

swaz si an dem rîche gewunnen,
daz was gotes êre.
nu genâde got ir baider sêle!
Die vursten chômen dô ze râte
an ainen Chuonrâten,
der ê wider dem rîche was.
der Regensburgâre geriet daz –
der biscof Hainrîch,
ain Diezâre alsô hêrlîch, –
mit samt dem Bêhaime.
daz tâten si dem herzogen Heinrîche ze laide
unt sînem bruoder Welfe.
si gewunnen grôzze helfe
durch den alten nît,
want si bî des kaiser Liuthêres zît
in grôzzen êren wâren.
die vursten begunden sîn harte vâren.
Daz was der vursten rât,
daz der chunich Chuonrât
gab dem herzogen Heinrîche
hove ungenâdiclîche.
ze Regensburch antwurt er ime schône
daz sper joch die chrône
durch | des rîches êre.
er gesach in ouch niemer mêre.
Der chunich hiez im duo vertailen
daz lant ze Baiern:
Liupolt rihte duo daz lant.
daz wart im ubele gewant,
want er ê sîn hêrre was
des erbe unt lant er dô besaz.
Der herzoge Heinrîch vuor ze Swâben.
dô tet im michel ungenâde
der chunich Chuonrât:
der herzoge ze Sahsen vertriben wart.
von der werlte versciet da der hêrre;
got von himele genâde der sêle!

Der bâbes Eugênîus
der gewarf dô alsus:
er hiez iz chlagen drâte
dem chunige Chuonrâte
unt dem chunige Ludewîge.
daz enstuont niht lange wîle,
unze der abbât Pernhart
den vursten geliebte die vart.
er chom ze dem chunige Chuonrâte,
er manet in harte
mit sîner suozen lêre.
er sprach, daz selbe unser hêrre
in dar zuo erwelte.
der chunich niht langer netwelte –

29. Otto von Freising.

a) Weltchronik.

Ottonis episcopi Frisingensis chronica sive historia de duabus civitatibus. Editio altera, recogn. Adolfus Hofmeister, 1912 (SS. R. G.).

Ottonis episcopi historia de duabus civitatibus. Incipit prologus libri primi.

Sepe multumque volvendo mecum de rerum temporalium motu ancipitique statu, vario ac inordinato proventu, sicut eis inherendum a sapiente minime considero, sic ab eis transeundum ac migrandum intuitu rationis invenio. Sapientis enim est officium non more volubilis rotae rotari, sed in virtutum constantia ad quadrati corporis modum firmari. Proinde quia temporum mutabilitas stare non potest, ab ea migrare, ut dixi, sapientem ad stantem et permanentem eternitatis civitatem debere quis sani capitis negabit? Haec est civitas Dei Ierusalem caelestis, ad quam suspirant in peregrinatione po-

siti filii Dei confusione temporalium tamquam Babylonica captivitate gravati. Cum enim duae sint civitates, una temporalis, alia eterna, una mundialis, alia caelestis, una diaboli, alia Christi, Babyloniam hanc, Hierusalem illam esse katholici prodidere scriptores.

Sed quia plerique gentilium ad commendanda posteris gesta priorum de una earum plura scripserunt, multa documenta virtutum, ut ipsi rati sunt, prosecutiones vero miseriarum nostrorum iudicio nobis reliquerunt. Extant super hoc Pompei Trogi, Iustini, Cornelii, Varronis, Eusebii, Ieronimi, Orosii, Iordanis aliorumque quam plurium tam nostrorum quam illorum, quos longum est enumerare, monimenta preclara, in quibus non tam historias quam erumpnosas mortalium calamitatum tragedias prudens lector invenire poterit. Congrua sane ac provida dispensatione creatoris id factum credimus, ut, quoniam homines vani terrenis caducisque rebus inherere desiderant, ipsa saltim vicissitudine sui deterreantur, ut a creatura ad creatorem cognoscendum per transitoriae vitae miseriam mittantur. Nos autem, tanquam in fine temporum constituti, non tam in codicibus eorum erumpnas mortalium legimus, quam ex ipsis nostri temporis experimentis eas in nobis invenimus. Ut enim de aliis taceam: regnum Romanorum, quod in Daniele propter tocius orbis bello domiti singularem principatum, quam Greci monarchiam vocant, ferro comparatur, ex tot alternationibus, maxime diebus nostris, ex nobilissimo factum est pene novissimum, ut iuxta poetam vix

magni stet nominis umbra.

Ab Urbe quippe ad Grecos, a Grecis ad Francos, a Francis ad Lonbardos, a Lonbardis rursum ad Teutonicos Francos derivatum non solum antiquitate senuit, sed etiam ipsa mobilitate sui veluti levis glarea hac illacque aquis circumiecta sordes multiplices ac defectus varios contraxit. Ostenditur igitur in ipso capite mundi mundi miseria, ipsiusque occasus toti corpori minatur interitum. ...

Et tamen illa magna Babylon, non solum sapientia preclara, sed et gloriosa in regnis, inclita in superbia Chaldeorum, iuxta Ysaiae vaticinium sine spe reparationis syrenarum facta est delubrum, domus draconum et strutionum, latibulum serpentium. Egiptus quoque magna ex parte inhabitabilis narratur et invia. Hinc translatam esse scientiam ad Grecos, deinde ad Romanos, postremo ad Gallos et Hyspanos diligens inquisitor rerum inveniet. Et notandum, quod

omnis humana potentia seu scientia ab oriente cepit et in occidente terminatur, ut per hoc rerum volubilitas ac defectus ostendatur. Quod in sequentibus Deo annuente plenius ostendemus.

Quia ergo per haec et huiusmodi mundi probatur versibilitas, necessarium ratus sum ad petitionem tuam, frater karissime Isingrime, historiam texere, per quam largiente Deo erumpnas civium Babyloniae, gloriam etiam regni Christi post hanc vitam sperandam, in hac expectandam ac pregustandam Ierusalem civibus ostenderem. Proposui vero prioris conflictationes et miserias, quantum Deus dederit, usque ad tempus nostrum deducere, de spe quoque sequentis, quantum ex scripturis colligere potuero, non tacere, sed et civium eius in hac peregrinantium memoriam facere. Sequor autem in hoc opere preclara potissimum Augustinum et Orosium ęcclesiae lumina eorumque de fontibus ea, quae ad rem propositumve pertinent, haurire cogitavi. Quorum alter de gloriosae civitatis Dei exortu sive progressu debitisque finibus, quomodo inter mundi cives semper profecerit, quique eius cives vęl principes quibus principum seu civium seculi temporibus extiterint, acutissime disertissimeque disputavit. Alter vero contra eos, qui temporibus Christianis priora preferentes inaniter garriebant, de rerum humanarum variis ac miserrimis eventibus, bellis bellorumque discriminibus, regnorum mutationibus, utilissimam ab orbe condito usque ad tempus suum texuit hystoriam. Quorum vestigia sequendo sic de utraque dicere proposuimus, ut tenorem hystoriae non omittamus, quatinus et religiosus auditor, quid in mundanis rebus ob innumeras mutationum miserias abhorrendum sit, animadvertat ac studiosus seu curiosus indagator non confusam rerum preteritarum seriem inveniat.

Nec iuste me reprehendendum arbitror, si post tantos tantaeque sapientiae ac eloquentiae viros imperitus scribere presumpserim, dum et ea, quae ipsi copiose profuseque dixerunt, compendio stringere et ea, quae post ipsorum tempora ęcclesiae Dei profutura seu contraria a civibus mundi huius acta sunt, quamvis inculto stilo executus fuerim. ...

De huius igitur erumpnosa mutabilitate, de illius felici stabilitate locuturus Deum, qui huius turbulentam confusionem patienter tolerat, illius iocundam tranquillitatem visione sui auget et glorificat, invocemus, quatinus eius auxilio ea, quae sibi placent, dicere possimus. ...

Domino suo Friderico, victori, inclito, triumphatori, Romanorum imperatori ac semper augusto, Otto, Dei gratia Frisingensis ęcclesiae id quod est, in eo prosperari, qui dat salutem regibus.

Petivit vestra imperialis maiestas a nostra parvitate, quatenus liber, qui ante aliquot annos de mutatione rerum a nobis ob nubilosa tempora conscriptus est, vestrae transmitteretur serenitati. Parui ergo libens et lubens vestro imperio tanto devotius, quanto regiae excellentiae convenientius esse considero ob rei publicae non solum armis tutandae, sed et legibus et iudiciis informandae incrementum antiqua regum seu imperatorum gesta vos velle cognoscere. ...

Preterea cum nulla inveniatur persona mundialis, quae mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli reges, utpote constituti supra leges, divino examini reservati seculi legibus non cohibentur. Unde est illud tam regis quam prophetae testimonium: Tibi soli peccavi. Decet ergo regem non solum animi magnanimitate nobilitatum, sed et ad cognoscendum creatorem suum divina gratia illuminatum, regem regum, dominum dominantium Deum pre mente habere, et ne in manus eius incidat, quantum potest modis omnibus precavere. ... Vos autem, princeps clarissime, qui re et nomine Pacificus iure appellamini, quia noctem nebulosam ac pluviosam ad delectabilia matutinae serenitatis spectacula cuique quod suum est conservando reduxistis pacemque amabilem mundo reddidistis, Deo — qui et principium — perseverantiam largiente huius tam amarae sententiae, divina favente clementia, iudicium non incidetis.

Honesta ergo erit et utilis excellentiae vestrae historiarum cognitio, qua et virorum fortium gesta Deique regna mutantis et cui voluerit dantis rerumque mutationem patientis virtutem ac potentiam considerando sub eius metu semper degatis ac prospere procedendo per multa temporum curricula regnetis. Unde nobilitas vestra cognoscat nos hanc historiam nubilosi temporis, quod ante vos fuit, turbulentia inductos ex amaritudine animi scripsisse ac ob hoc non tam rerum gestarum seriem quam earundem miseriam in modum tragediae texuisse et sic unamquamque librorum distinctionem usque ad septimum et octavum, per quos animarum quies resurrectionisque duplex stola significatur, in miseria terminasse.

Itaque si vestrae placuerit maiestati gestorum vestrorum nobilissimam in posterorum memoriam stilo commendare seriem, per notarios vestrae celsitudinis digestis capitulis

mihique transmissis, Deo dante vitaque comite, ea laeta laeto animo prosequi non pigritabor, nichil aliud pro munere expectans, nisi quod ęcclesiae, cui deservio, in oportunitatibus suis vestra subvenire velit imperialis clementia.

De expeditione, quam contra Mediolanensium superbiam ordinastis, ob honorem imperii vestraeque personae exaltationem libenter audivi preceptumque vestrum super hac re humilitati meae destinatum reverenter suscepi. Misimus autem presentium latores venerabilem abbatem Rabotonem Sancti Stephani et capellanum nostrum Ragewinum, qui hanc historiam ex ore nostro subnotavit, ut de hoc verbo sub gratia vestra pro nobis sufficienter respondeant.[1])

Precordiali amico summique inter orbis principes principis nobili cancellario Regenaldo Otto Dei gratia Frisingensis ęcclesiae episcopus salutem et obsequium.

Cum iuxta Boetium in omnibus philosophiae disciplinis ediscendis atque tractandis summum vitae positum solamen existimem, vestrae nobilitatis personam eo familiarius ac iocundius amplector, quo ipsius studio vos hactenus insudasse in eaque adprime eruditum esse cognosco. Eapropter non ut rudi, sed ut philosopho de libro, quem domino imperatori transmisi, vestrae industriae confidentius scribo petens, ne in quibusdam ibidem positis sinistrum, sed bonum vos interpretem experiar. Scitis enim, quod omnis doctrina in duobus consistit, in fuga et electione. ... Sic et cronographorum facultas habet, quae purgando fugiat, quae instruendo eligat; fugit enim mendacia, eligit veritatem. Itaque non indignetur vestra discretio nec sinistre, ut dixi, imperialibus auribus interpretetur, si in historia nostra contra antecessores vel parentes suos ad observandam veritatem aliqua dicta fuerint, cum melius sit in manus incidere hominum quam tetrae fucatum superducendo colorem faciei scriptoris amittere officium.

Preterea, quo ordine currat haec historia, breviter exponam, ut hoc cognito qualitas operis facilius pateat. Quatuor principalia regna, quae inter cetera eminerent, ab exordio mundi fuisse in finemque eius secundum legem tocius successive permansura fore ex visione quoque Danielis percipi potest. Horum ergo principes secundum cursum temporis

---

1) *Vgl. dazu den Anfang des Briefes Kaiser Friedrichs an Otto, Gesta Friderici S. 1.*

enumeratos, primo scilicet Assirios, post, subpressis Chaldeis, quos inter ceteros historiographi ponere dedignantur, Medos et Persas, ad ultimum Grecos et Romanos posui eorumque nomina usque ad presentem imperatorem subnotavi, de ceteris regnis incidenter tantum et ob ostendendam rerum mutationem disputans. De diversis quoque religiosorum ordinibus et catalogo regum in Laurento, Latio, Alba ante Urbem conditam regnantibus et post Urbem conditam, item de catalogo imperatorum seu pontificum Romanorum usque ad eum, qui inpresentiarum est, disserui. Sicque in octavo de resurrectione mortuorum fineque utriusque civitatis loquens opus terminavi. Qualiter etiam regnum a regno subplantatum usque ad imperium Romanorum fuerit, ostendi, hoc, quod de ipso dicitur, quia a lapide exciso de monte plenarie subvertendum sit, usque in finem temporum iuxta Methodium expectandum estimans. Valete.

lib. VI, 17. Exhinc quidam post Francorum regnum supputant Teutonicorum. Unde filium eius Ottonem in decretis pontificum Leonem papam primum regem Teutonicorum vocasse dicunt. Nam iste, de quo agimus, Heinricus oblatam sibi a summo pontifice dignitatem rennuisse perhibetur. Michi autem videtur regnum Teutonicorum, quod modo Romam habere cernitur, partem esse regni Francorum. Denique, ut in superioribus patet, tempore Karoli regni Francorum tota Gallia, id est Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisque Germania, a Rheno scilicet ad Illiricum, terminus fuit. Dehinc diviso inter filiorum filios regno aliud orientale, aliud occidentale, utrumque tamen Francorum dicebatur regnum. In orientali ergo, quod Teutonicorum dicitur, deficiente Karoli stirpe primus, manente adhuc in occidentali Francia ex successoribus Karoli Karolo, ex gente Saxonum successit Heinricus. Cuius filius Otto, quia iam imperium a Longobardis usurpatum reduxit ad Teutonicos orientales Francos, forsan dictus est primus rex Teutonicorum, non quod primus apud Teutonicos regnaverit, sed quod primus post eos, qui a Karolo Karoli vel Karolingi, sicut et a Meroveo Merovingi, dicti sunt, ex alio, id est Saxonum, sanguine natus imperium ad Teutonicos Francos revocaverit. Sicut autem Merovingis deficientibus ac Karolis succedentibus regnum tamen mansit Francorum, sic et Karolis decedentibus ex alia familia seu lingua in uno tamen regno Ottones subintroiere. Quae varietas humanarum rerum defectum prodens ab inicio mundi usque in presentem diem alternatur. ...

32. ... Hunc Gratianum Alpes transcendentem secutum fuisse tradunt Hiltibrandum, qui postmodum summus pontifex factus ob eius amorem, quia de catalogo pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII^{m} vocari voluit. Et sicut in Lucano habes:

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni,

ita et huic Hiltibrando, qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista, in qua sententia principis et episcoporum prevaluit, semper displicuit. Exhinc Romana ecclesia in electione canonica pontificum in tantum infirmata invenitur, quod iste IIII^{or}que sequentes ab imperatore ibi positi in catalogo inveniantur. Qualiter autem industria et opera prefati Hiltibrandi sub Leone iuniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro vero plene rehabuerit, sicut probatorum virorum relatu cognovimus, infra dicemus. ...

34. ... Anno sequenti Alexander vita et sacerdotio perfunctus decessit sedemque Hiltibrando archidiacono suo, qui Gregorius VII^{us} dictus est, reliquit. Exhinc scisma gravissimum, eo quod absque consensu regis per electionem constitutus fuerat, oritur. Ipse autem, qui per multum temporis ad libertatem ęcclesiae obtinendam privatus laboraverat, iam ad sacerdotalem dignitatem provectus a cepto desistere indignum ducens tam ob hoc quam pro symonia extirpanda ac incontinentia clericorum reprimenda plurimum desudabat. Denique non solum regem pro eiusmodi ad synodalia responsa crebro vocavit, sed et datis decretis clericorum a subdiaconatu et supra conubia in toto orbe Romano cohibuit formaque gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit ac fortis per omnia athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit. ...

35. ... At Romanus pontifex regem sepe vocatum excommunicavit, eiusque, ut dicitur, consilio et auctoritate Radolfus Alemannorum dux a quibusdam principibus rex creatur. Quo non multo post in publico bello occiso atque Herimanno Lotharingiae principe sibi substituto, et ipse non multo post a fidelibus regis interficitur. Lego et relego Romanorum regum sive imperatorum gesta et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum vel regno privatum, nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano episcopo inter penitentes collocatus et Theodosius a beato Ambrosio propter cruentam cedem a liminibus ęcclesiae sequestratus est.

36. Hic quod supra distuli solvendum puto, quod Romanum imperium, ferro in Daniele comparatum, pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit, donec a lapide exciso de monte sine manibus percussum subrueretur. Quid enim aliud, sine melioris sententiae preiudicio, lapidem sine manibus excisum quam ecclesiam, capitis sui corpus sine carnali commixtione ex spiritu sancto conceptum et virgine natum, ipsam quoque sine humana operatione et ex spiritu et aqua regeneratam dixerim? Quae virgo speciosa, quia sine macula in novum hominem tanquam iuvencula regenerata ideoque sine ruga, sic cottidie virgo manens novum ac speciosum parit populum, sicut mater capitis eius virgo manens contra legem naturae novum ac speciosum edidit partum, sic de virginitate gaudens, ut tamen sterilis non maneat. Haec nimirum regnum circa finem suum, quem pedes significant, ferreum propter Martem, fictile propter conditionem, in ea parte, quae infirmior fuit, percussit, dum regem Urbis non tanquam orbis dominum vereri, sed tanquam de limo per humanam conditionem factum fictilem gladio anathematis ferire decrevit. Ipsa vero, quae antea parva fuit et humilis, in quantum montem excreverit, ab omnibus iam videri potest. Quanta tamen mala, quot bella bellorumque discrimina inde subsecuta sint, quociens misera Roma obsessa, capta, vastata, quod papa super papam sicut rex super regem positus fuerit, tedet memorare. Denique tot mala, tot scismata, tot tam animarum quam corporum pericula huius tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis inmanitate ac temporis diuturnitate ad humanae miseriae infelicitatem sufficeret comprobandam. ...

Prologus libri septimi.

... Proinde non iuxta quosdam Deum negligere mundum, sed potentissima maiestate quae non erant creasse, sapientissima providentia creata gubernare, benignissima gratia gubernata conservare ex hoc liquido datur intelligi, quod quilibet sapiens et bonus propria benefacta diligit et amplectitur. ... Quod igitur mundus transit, quod tam miserabiliter variatur, cum sine eius nutu, ut dixi, fieri non possit, non crudeliter, quia miseretur omnium, non ex odio, quia nichil eorum odit, quae fecit, non ex ira, quia cum tranquillitate iudicat, sed iusto eius iudicio causaque, quae, etsi nos lateat, utilissima tamen creditur, contingit. Nullum enim malum auctor bonitatis et fons pietatis fieri permittere credendus est,

preter id, quod, quamvis in se ipso noceat, universitati prodest. Quod in malo Iudaicae gentis considerari potest, quia illo excecato populo universitas gentium lumen veritatis accepit. Sic et regnorum mutationes et ad ultimum inminutiones quis fructus sequatur, Deo, aput quem nichil inutiliter effluere potest, relinquamus. ...

lib. VII, 34. ... Sed quia mutabilium rerum ab Adam usque ad presentem annum, qui ab incarnatione Domini M^{us}C^{us}XL^{us}VI^{us}, ab Urbe condita M^{us}DCCCC^{us}XVIII^{us}, Conradi nonagesimi tercii ab Augusto nonus, Eugenii tercii summi pontificis secundus est, seriem qualitercumque percensui multiplicesque mortalium miserias involvi, diversos religiosorum ordines, quorum, ut dixi, sanctitate a misericordissimo iudice malignitas mundi subportatur, silentio preterire incongruum arbitramur, ut tantorum malorum turbulentiae clarorum virorum gesta insignia metam et articulum ponamus.

35. Igitur exceptis his, qui sobrie, pie et iuste ex clericis et laicis sua tamquam non sua possidentes fratrum necessitatibus misericorditer deserviunt, diversa sunt sanctorum agmina, qui propriis desideriis, facultatibus, parentibus iuxta mandatum evangelicum abrenuntiantes crucemque per mortificationem carnis iugiter portantes caelesti desiderio pleni Christum secuntur. Quorum alii in urbibus, castellis et vicis et agris commorantes proximis normam recte vivendi verbo et exemplo tribuunt; alii non quidem commanentiam hominum aspernantes, sed quieti suae amplius providentes frequentiam fugiunt solique Deo vacantes ad silvarum abditorumque locorum latibula se conferunt. Illi lucem suam lucere coram hominibus ad gloriam Dei non abnuunt; isti mortuos se mundo cognoscentes vitam suam cum Christo in Deo in presenti abscondunt gloriamque suam, donec Christus vita eorum gloriosus appareat, enitescere non cupiunt. Eque tamen omnes vitae et conscientiae puritate ac sanctimonia caelesti et angelica in terris vita degunt. Commanent autem cor unum et animam unam habentes in unum in cenobiis vel ecclesiis, somnum simul capiunt, unanimiter ad orationem surgunt, in una domo pariter reficiuntur, orationi, lectioni, operi die noctuque ita indefessa incumbunt vigilantia, ut excepto illo, quo lassa quieti membra vilibus et vimineis stramentis seu sago tradunt, momento aliquod horarum spacium sine divina occupatione nefas arbitrentur effluere, in tantum ut in ipsa naturali refectione divinae scripturae iugiter intenti spiritum malint saginare quam corpus. Abstinent vero omnes

communiter a carnibus. Alii autem ab omnibus delicatioribus cibis vinoque se cohibentes legumine interdum, interdum pane tantum utuntur et aqua. Quid de celibatu ipsorum dicam? cum ita communem et indultam humano generi nuptiarum legem transcenderint, ut quidam ex eis non solum interna, sed et externa claustra tanta cum diligentia observent, quod nulli umquam qualibet de causa, sed nec orationis obtentu introeundi aditus pateat feminarum. ...

Omnes hii ab omni misero mundi rotatu, de quo supra disputatum est, seclusi, post senarii laboris perfectionem in veri sabbati pace eternam quietem pregustando positi, nostrae enormitatis benigni et idonei intercessores, huius septimi operis terminus existant, nosque ad ea quae secuntur, quis scilicet finis civitati Dei maneat, quae perditio reprobam mundi civitatem expectet, dicenda precibus suis aptos efficiant. Amen.

Explicit liber septimus.

Prologus octavi libri.

Hoc opus nostrum, quod de duabus civitatibus intitulavimus, trifarie distinctum invenitur. Cum enim civitas Christi seu regnum eius secundum presentem statum vel futurum ęcclesia dicatur, aliter se modo, quamdiu bonos et malos in uno gremio fovere cernitur, habet, aliter tunc, cum solos bonos in superni sinus gloria servabit, habitura erit, aliter, antequam plenitudo gentium introiret, sub principibus gentium vivens, se habuit. Denique quod ęcclesia non solum cum Christo regnans, sed et in presenti horreo granum et paleam continens regnum Christi vocetur, in Evangelio manifestissime habes, ubi de regno suo scandala, quae nulla profecto in illa caelesti patria tranquilissima et felicissima fore poterunt, auferenda predicuntur. Ea ergo locutione, qua Christus propter sacramentorum communionem malos et bonos, fidem istos per caritatem operantem, illos sine operibus mortuam habentes, regnum suum nominat, ea nos civitatem eius hunc presentem statum vocamus. Neque enim subtilitatem eorum in hoc sequimur, qui utrum mali in ęcclesia manentes veraciter sacramentis communicent an exterius tantum ea accipiant, sollerter inquirunt, vel, si item mali ęcclesia, quae corpus Christi est, dici propter temporalem commixtionem ac sacramentorum communionem debeant, acutissime disputant. Sed communem sacrae scripturae usum simplici oculo intendendo omnes in ecclesia fidem tenentes

catholicam civitatem Christi vocamus, Deo, qui solus novit, qui sint eius, iudicium discussionemve singulorum relinquentes.

Civitatis perversae triplex eque status invenitur, quorum primus ante gratiam, secundus tempore gratiae fuit et est, tercius post presentem vitam erit. Primus miser, secundus miserior, tercius miserrimus. E contra alterius partis primus abiectus, secundus prosper, tercius beatus, vel primus humilis, secundus mediocris, tercius perfectus. ...

Nunc eis respondendum videtur, qui forte hunc nostrum laborem tamquam inutilem evacuare conabuntur, quasi tot alternantium malorum historicis narrationibus tam ardua et archana scripturarum documenta non digne commisceamus. Et primo quidem, quamvis de hoc exemplo beati patris Augustini, quem imitari proposuimus, idem in libro de civitate Dei facientis excusemur, tamen rationum et auctoritatum spiculis eis obviandum erit. Numquid non gratior est dies sequens noctem, dulcior quies post laborem, somnus post lassitudinem, cibus post esuriem? Quid de Eptatico, Regnorum libro, Paralippomenon dicam? Deficiet me tempus enarrantem, si universas sacrae scripturae paginas, utpote Ruth, Iudith, Esdrae, Hester, Machabeorum percurrere libros velim, qui, dum mistico sensu et deifica sapientia sint gravidi, diversas tamen mortalium erumpnas et bellorum tempestates continent. Taceo prophetas, qui inter crebras mutabilium miserias secreta sancti spiritus nonnumquam vaticinia posuere. Omitto apostolos, qui profundissimis divinorum misteriorum archanis nefandissima huius mundi facta frequenter interseruere. Sic Daniel ab historica narratione ordiens profundissima visione opus suum terminavit. Et egregius ille predicator secundum datam sibi pre ceteris apostolis sapientiam de secretissimis Dei magnalibus excellenter disputans ad correctionem nostram quaedam turpia tenebrarum opera in capite epistolarum obiurgando commemorare non erubuit. Sed et dilectus ille Christo discipulus evangelicae narrationem veritatis alto illo inchoatam principio concludens, cum dixisset: *Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc, haec autem scripta sunt* et cetera, exemplum dominicum statum futurae vitae in captura piscium et retis soliditate necnon et cibi suavitate presagiens subtexuit: *Manifestavit*, inquiens, *se Iesus ad mare Tyberiadis*. Sicque huius tam eximiae rei prerogativam in calce libri ponens omnem retro-

actae narrationis seriem eius tamquam proemium fecit. Dominus quoque in principio caelum ac terram creans invisibilem primo et incompositam materiem edidit ac postmodum in ordinem eam et lucem redegit. Non ergo delinquere nos arbitramur, si enumeratis presentis vitae miseriis de eterna sanctorum quiete tamquam de luce post tenebras, quantum Deus permiserit, tractare conabimur.

b) Gesta Friderici.

Ottonis et Rahewini Gesta Friderici I. imperatoris. Editio tertia. Recens. G. Waitz, curavit B. de Simson. 1912 (*SS. R. G.*).

... Fateor, dum ante aliquot annos priorem hystoriam terminassem, spiritusque peregrini Dei ad sumenda contra gentes quae orientem inhabitant arma totam pene Hesperiam afflasset, pro pacis iocunditate, quae orbi momentanee tunc arriserat, stilum vertere cogitaram, iamque scribere coeperam, sed, quo instinctu nescio, tamquam animo futura presagiente finemque inspiciente coeptum proieci opus. Sic tamquam a nolente seu nesciente presenti tempori propositi implendi negotium reservatum fuisse estimo, dum firma quies – si tamen rebus caducis aliqua fides adhibenda est – sub strennuissimo principe in Romano orbe expectatur. ... Cum igitur rebus in melius mutatis post tempus flendi tempus ridendi, post tempus belli tempus pacis modo advenerit, indignum ratus sum, augustorum clarissime Friderice, caeterorum regum seu imperatorum gestis enumeratis tua silentio subprimere, immo, ut verius dicam, dignissimum putavi priorum virtutibus tuas sicut auro gemmam superponere. Inter omnes enim Romanorum principes tibi pene soli hoc reservatum est privilegium, ut, quamvis a prima adolescentia bellicis desudasse cognoscaris officiis, obscenum tibi nondum vultum fortuna verterit. Sic etiam temperans in prosperis, fortis in adversis, iustus in iudiciis, prudens et acutus in causis esse cognosceris, ut non solum ex convictu haec tecum coaluisse, sed tamquam divinitus inspirata et a Deo tibi ob universale totius orbis emolumentum concessa fuisse videantur. Hanc ergo tuae nobilitati offero hystoriam, ab omnium bonorum datore Deo postulans et petens, ut tuo bono principio melior finis apponatur. Sed antequam tuorum gestorum seriem attingam, de avo, patre patruoque tuo quedam summatim prelibare cogitavi, ut, sic quasi quodam filo narrationis descendens, per clara clariora, quae de tua persona dicenda fuerint, appareant. Si qua vero ex aliis regnis aecclesiasticae secularisve personae gesta incidenter interserta fuerint, ab huius negotii materia aliena non putabuntur, dum omnium regnorum vel gentium ad Romanae rei publicae statum tamquam ad fontem recurrat narratio. Nec, si a plana hystorica dictione ad evagandum oportunitate nacta ad altiora velut phylosophica acumina attollatur oratio, preter rem eiusmodi estimabuntur, dum et id ipsum Romani imperii prerogativae non sit extraneum rebus simplicioribus altiora interponere. Nam et Lucanus, Virgilius caeterique Urbis scriptores non solum res gestas, sed etiam fabulosas, sive more pastorum vel colonorum summissius vel principum dominorumque orbis altius narrando, stilum tamen frequenter ad intima quedam phylosophiae secreta attingenda sustulerunt. Sic enim non solum hi, quibus rerum gestarum audiendi seriem inest voluptas, sed et illi, quos rationum amplius delectat subtilitatis sublimitas, ad eiusmodi legenda seu cognoscenda trahuntur. Ac propositae hystoriae Deo auctore tale sumatur exordium.

[Explicit Prologus.]

lib. I, 48 (46). Fuit illis in diebus in Aquitania Galliae civitate Pictavis episcopus Gilebertus nomine. Hic ex eadem civitate oriundus, ab adolescentia usque ad ultimam senectutem in diversis Galliae locis phylosophiae studium colens, re et nomine magistri officium administrarat noviterque ante hos dies ad culmen pontificale in prefata civitate sublimatus fuerat, consuetus ex ingenii subtilis magnitudine ac rationum acumine multa preter communem hominum morem dicere.[1]) Is igitur, cum quadam vice conventum de sua diocesi clericorum magnum celebrans sermoni, quem forte gratia exhortandi habebat, quedam de fide sanctae trinitatis intersereret, a duobus archidiaconibus suis, id est Arnaldo et Kalone, tamquam contra katholicae normam aecclesiae doctrinam instituens ad summi pontificis Romanaeque sedis examen interposita appellatione vocatur. Sic utrique viam carpunt Romanoque pontifici Eugenio ab Urbe in Gallias tendenti Senis civitate Tusciae occurrunt. Quibus Romanus antistes auditis causaque viae cognita, breviter respondit se Gallias introire ibique de hoc verbo, eo quod propter litteratorum virorum copiam ibidem manentium oportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoscere. Archidiacones in

1) Sed unde orta sit predicta altercatio, breviter intimamus *add. B**.

Gallias redeunt ac consulto Bernhardo supra memorato abbate eum in commodum causae suae adversus episcopum inclinant.

49 (47). Erat enim predictus abbas tam ex Christianae religionis fervore zelotipus quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut et magistros, qui humanis rationibus saeculari sapientia confisi nimium inherebant, abhorreret et, si quidquam ei Christianae fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem preberet. Ex quo factum est, ut non multo ante hos dies ipso auctore primo ab episcopis Galliae, post a Romano pontifice Petro Abailardo silentium impositum fuerit. ...

52 (50). Igitur, ut ad id, a quo digressa fuit, redeat oratio, pretaxati archidiacones[1]), ascito sibi tantae auctoritatis et estimationis viro, abbate Bernhardo, episcopum Gilebertum eadem, qua predictum Petrum, via dampnare adtemptabant. Sed nec eadem causa nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinae se subiciens magisque illorum ponderi quam suo credens ingenio, qualis primo fuit Hylarius Pictaviensis, post Bernhardus Carnotensis, ad ultimum Anshelmus et Radulfus Laudunenses, germani fratres, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subito ferulae subducta, a scientia haut censura morum vitaeque gravitate discordante, non iocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu quam voce pondus servans, sicut in factis gravem, sic in dictis se ostenderet difficilem, ut numquam puerilibus, vix autem eruditis et exercitatis quae ab eo dicebantur paterent animis. ...

56 (54). Cum ita per aliquot dies iam sepe dictus episcopus coram summo pontifice de fide sua in civitate Parisius discuteretur, sentiens papa, utpote vir cautus et religiosus, causae dificultatem, protelandam eam usque ad universale concilium adiudicavit. Erat enim in proxima medianae quadragesimae dominica apud illius Galliae metropolim Remis generale indictum concilium. ...

61. ... Episcopus vero premissam summi pontificis sententiam reverenter excipiens, archidiaconibus suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate et honoris plenitudine ad propriam dyocesim remeavit. Utrum autem predictus abbas Clarevallensis in hoc negotio ex humanae infirmitatis fragilitate tamquam homo deceptus fuerit, vel episcopus tamquam

1) Arnoldus et Kalonus *add. B**.

vir litteratissimus propositum astute celando aecclesiae iudicium evaserit, discutere vel iudicare nostrum non est. Quod enim sancti et sapientes viri, corruptibili carne circumdati, frequenter in talibus fallantur, et novis et antiquis probatur testimoniis. ...

lib. II, 56. Ita ad civitatem, iuxta quod preoptaverat, inter patruum et avunculi sui filium terminata sine sanguinis effusione controversia, laetus rediit ac statim sequenti die in publico residens consistorio, ne Baioaria ulterius totius regni quietis inmunis esset, treugam a proximo pentecosten ad annum iurari fecit. Porro tanta ab ea die usque inpresentiarum toti Transalpino pacis iocunditas arrisit imperio, ut non solum imperator et augustus, sed et pater patriae iure dicatur Fridericus. Enimvero, antequam haec curia terminaretur, presentatis sibi iterum de Coloniensi aecclesia utrisque partibus, alteram electionem, eam videlicet, quae a canonicis maioris aecclesiae facta fuit, validiorem iudicans, Fridericum, Adolfi comitis filium, de regalibus investit sicque eum a Romano pontifice consecrandum ad Urbem misit.

Tanta sunt, quae de tuae maiestatis virtute dici possent, augustorum optime, quod, si simul sine interpolatione insipienter effundantur, scribentis prefocare possent animum. Quare huic secundo operi terminus detur, ut ad ea quae dicenda restant tercio locus servetur volumini.

30. Rahewini Gesta Friderici.

Ausgabe: s. die vorige Nr. unter b.

[Incipit[1]) Prologus sequentis operis.]

Viris prudentissimis, pace et militia exercitatis, [domino] Ulrico et [domino] Heinrico, sacri palatii uni cancellario, alteri notario, Radewinus sanctae Frisingensis aecclesiae professione canonicus, ordine diaconus[2]), licet indignus, simul cum intellectu spiritu pietatis habundare. Interrogans generationem pristinam et diligenter investigans patrum memoriam multis experimentis invenio humanarum rerum nichil firmum, nichil perpetuum, sed dies hominis velocius transire, quam a texente tela succiditur, et vitam eius velocius umbra aut vento declinare. Quod cum multis et magnis clarum sit experimentis, etiam presentis operis pagina suum nobis exinde prebet documentum, quae ab auctore suo felicis memoriae venusti ser-

1) *ita* B 1. 2. 2) dignitate prepositus *add.* B. B*.

monis inchoata principio, ipso proh dolor! infausta morte prevento, nostrae parvitati, velut abortiva et quasi de domini sui funere rapta, eius iussu pariterque serenissimi et divi imperatoris Friderici nutu fovenda et promovenda committitur. ... Fateor equidem, quod tenuis mihi spiritus est ad excitandam vel minutam tybiam, nedum ad implendam superioris auctoris [et] venerabilis presulis tam magnificam et copiosam scribendi et dicendi tubam. Sed ubi eloquentiae et stili me superat pondus, sensus et integra veritas rerum gestarum Deo propitiante exequabit. Vos itaque ambos in hoc opere preceptores, testes et iudices eligo, rogans, ut exactum a me laborem sine contumelia suscipiatis, et qui rebus ipsis tamquam familiares et conscii secretorum interfuistis, si quid corrigendum est, ad regulam veritatis emendare, si quid parum aut superflue dictum est, vel radere vel superaddere, quantum satis est, non pigritemini. Ego etenim revera, nisi vestra fretus ope ac studio, sub hoc fasce succumberem, frustra per me conatus tanti imperatoris gesta adtingere, cuius si quis magnitudinem animi et imperii cum annis conferat, aetatem ultra putet. Ita enim late et magnifice per orbem terrarum arma circumtulit, tantum operum pace belloque gessit, ut qui res eius legerit, non unius, sed multorum facta regum seu imperatorum arbitretur.

[Explicit[1]) Prologus.]

lib. III, 41 (37). Illud etiam non ab re est memorare, quod quidam ex oppidanis, vir in oculis suis sibi placitus, progressus versus castra imperatoris, velut equitandi imperitiam nostris exprobrans, quedam superba prolocutus est et quemlibet fortissimum ac equitandi peritissimum ad singulare certamen provocavit. Coepitque vertibilem equum modo impetu vehementi dimittere modo strictis habenis in gyrum, ut huic negotio mos est, revocare moxque varios perplexosque per amfractus discurrere. At qui contra steterunt multi quidem dedignabantur. Erant autem inter eos, ut assolet, etiam qui timerent. Quosdam vero non inconsulta movebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere et cum his in discrimen venire, quos neque vincere magnum sit et vinci cum dehonestamento periculosum, non fortitudinis, sed insipientiae videri. Cum autem diu nemo procederet, multaque ille nostrorum timiditati illuderet, nobilis comes Albertus de Tyrol, ad omnem virtutis commendationem ydoneus, inermis et pale-

1) *ita* B; *des.* A. A*. C.

frido sedens, solo clyppeo accepto et hasta, prefato Liguri obviam venit eumque tripudiantem et vana iactantem deiecit, cadentemque dedignatur occidere, contentus ad laudem, quia visus est potuisse. Ita nostros ultus comes Albertus nil glorians ad suos revertitur, vir minimae iactantiae et qui semper manu quam lingua promptior inveniri volebat. Ita inter nostros principes contra Ligures varium pro virtute et gloria certamen in dies habebatur.

lib. IV, 64 (54). Fridericus ancipiti malo novi scismatis permotus, consilio principum decrevit dare operam, ne quid exinde seu status aecclesiae seu res publica imperii detrimenti caperet. Audiens itaque utrumque electum in episcopatus ordinem consecratum, alterum ab altero excommunicationis sententia condempnatum, sine iudicio aecclesiae controversiam terminari posse non putavit. Auctoritatem autem congregandi concilii exemplo antiquorum imperatorum, verbi causa Iustiniani, Theodosii, Karoli, sibi congruere putans litisque decisionem legittimam esse non posse nisi partibus hinc inde congregatis considerans, ad citationem amborum venerabiles viros et prudentes Danielem Bragensem et Herimannum Ferdensem episcopos dirigit cum litteris, quarum exemplar hoc est.

74 (64). Tempus erat, quo concilium Papiae indictum celebrandum fuerat, idque de universis regni partibus, videlicet Cisalpinis et Transalpinis, in unum collecti archiepiscopi et episcopi aliique aecclesiarum prelati pendula expectatione operiebantur. Tum augustus commonens omnes ieiuniorum et orationum subsidiis aecclesiae katholicae causam Deo commendari, cum sacerdotibus et omni populo auxilium divinum fida sanctorum intercessione poscebat. Deinde convocato in unum concilio, cum resedisset, ait ad episcopos: 'Quamvis noverim officio ac dignitate imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, presertim in tantis aecclesiae periculis — hoc enim et Constantinus et Theodosius necnon Iustinianus seu recentioris memoriae Karolus Magnus et Otto imperatores fecisse memorantur —, auctoritatem tamen diffiniendi huius maximi et summi negotii vestrae prudentiae vestraeque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et quia in his quae ad Deum sunt non est nostrum de vobis iudicare, tales vos et taliter in hac causa hortamur habere tamquam solius Dei de vobis expectantes iudicium.' Cum haec dixisset, ipse se concilio subtraxit, examen totum aecclesiae et aecclesiasticis, quae ibi innumerabiles erant,

committens personis. Erant autem circiter quinquaginta archiepiscopi et episcopi; abbatum et prepositorum non erat pre multitudine estimatio. Legati quoque diversarum terrarum aderant, spondentes quicquid a synodo decretum foret indubitanter a suis recipiendum.

86. ... Haec a glorioso principe acta sunt usque ad presentem annum, qui ab incarnatione Domini millesimus centesimus sexagesimus, regni autem eius septimus, imperii quintus numeratur, multa adhuc in regni gubernaculis feliciter acturo tandemque aput Regem regum cum piissimis principibus aeterna percepturo premia meritorum.

Hos de latissimis gestorum tuorum pratis, augustorum optime, tam dilectus patruus tuus Otto episcopus quam nostrae humilitatis diligentia flores legit, unde huius opusculi coronam texeremus; plura, quae de te sciuntur et referuntur, peritioribus et magis domesticis relinquentes. Quae si cuiquam invisa fuerint, aut ea despicabilia iudicaverint, nos tamen obedientiae nostrae fructus consolabitur, qua precibienti paruimus. De qualitate autem operis vos, dilectissimi domini mei, videritis, quos in hoc opere arbitros elegimus et correctores. Vobis enim adiudicandum erit quod editis, per vos iudicandum quod delendum duxeritis.[1])

31. Ottonis de Sancto Blasio Chronica.

Ed. Adolfus Hofmeister, 1912 (SS. R. G.).

c. 4. Anno dominice incarnacionis M⁰CLII. Chûnradus rex moritur, eodem videlicet anno, quo hospitatus est in civitate Friburgensi, Spiramque deportatus obsequiis regalibus sepelitur, anno regni sui XV.

Hiis temporibus Eugenius papa synodum episcoporum Remis congregavit, cui ipse presidens multaque prava corrigens inter cetera librum Gisilberti Pictaviensis episcopi suspectum eo presente examinavit, in quo super verba Boecii de Trinitate, sana quidem et catholica, male commentatus est, hoc modo: 'Pater est veritas, id est verus; Filius est veritas, id est verus; Spiritus sanctus est veritas, id est verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus.' Que expositio pape ceterisque episcopis perversa visa est omninoque suspecta, quia secundum Augustinum Deus non nisi ea magnitudine magnus est, que est quod

1) Finis *add.* β.

ipse, et non nisi ea veritate verus est, que est quod ipse, alioquin illa erit maior magnitudo vel veritas, qua Deus magnus vel verus est, quam ipse; quod fateri absurdissimum est. Hanc expositionem venerabilis abbas Bernhardus in libro suo super Cantica canticorum, capitulo LXXXI. sic correxit: Pater est verus, id est veritas; Filius est verus, id est veritas; Spiritus sanctus est verus, id est veritas. ...

c. 13. Anno dominice incarnacionis M⁰C⁰L⁰IX⁰ Adriano papa mortuo factum est scisma in electione, quibusdam Octavianum cardinalem, Victorem vocatum, eligentibus, aliis Rŏlanlandum cancellarium, Alexandrum dictum, intronizantibus. Divisis itaque tali scismate cardinalibus, novem numero in parte Victoris, undecim in parte Alexandri consistentibus, res ad imperatorem refertur. Qui habito principum consilio ab ipsisque tale scisma maiestate imperatoria sedandum esse data sentencia generalem curiam omnibus regni principibus ad ineundum pro statu ecclesie concilium Papie in epiphania Domini indixit. ... Extant diverse ad diversos utriusque partis de hac causa epistole, suum queque pars electum canonizare cupiencium, sicut in Gestis Friderici imperatoris ab Ottone Frisingensi episcopo plenarie describitur. ...

c. 32. ... Hiis circa finem mensis Augusti gestis augustus convocatis principibus eorum consilio in Grecia hiemare statuit omnique in circuitu subiecta sibi terra montem quendam accessu difficilem ad receptionem exercitus munivit eumque Teutonico idiomate Chunigisberc nuncupavit. Ubi contra faciem Constantinopolitane civitatis potenter residens omniaque necessaria exercitui a civitatibus finitimis convehi faciens Grecam astuciam Romana potencia Germanicaque fortitudine devicit totaque hieme usque ad pascha anni sequentis inibi mansit, Grecis cum imperatore suo semper a facie eius in fuga constitutis.

c. 45. Anno dominice incarnationis M⁰C⁰XCVII. Heinricus imperator hostibus imperii circumquaque subactis terra marique potens in ultimis Sycilie finibus constitutus inmatura morte preventus est. Cuius mors genti Teutonicorum omnibusque Germanie populis lamentabilis sit in eternum, quia aliarum terrarum diviciis eos claros reddidit terroremque eorum omnibus in circuitu nationibus per virtutem bellicam incussit eosque prestanciores aliis gentibus nimirum ostendit, futurus, nisi morte preventus foret, cuius virtute et industria decus imperii in antique dignitatis statum refloruisset. ... Hisdem temporibus compatriote earundem regionum, scilicet

Apulie, Calabrie, Sicilie, memores iniuriarum, quas ab imperatore Heinrico sustinuerant, in gentem Teutonicam maxima sunt invidia efferati, acceptam iniuriam pro posse in eos vindicantes; eademque de causa multos peregrinos gentis Teutonice de transmarina expedicione remeantes per terram illam, mortuum imperatorem nescientes, multis modis iniuriabant, nullusque sine iniuria illesus transire poterat absque armis et sine comitatu multitudinis, multisque diebus hec duravit invidia.

c. 48. Igitur Innocentius papa Phylippo iam antea offensus, eo quod in Tuscia existens quoddam patrimonium sancti Petri invaserat, ipsum in regem eligere non consensit, sed Ottoni favens ipsum in defensorem Romane ecclesie collaudavit. Veruntamen procedente tempore videns vires Ottonis ablatas et favore principum admodum concidisse, Philippum vero subiectis Ottonis fautoribus prevaluisse, ipsi deferens, duos cardinales ex latere suo, Hugonem videlicet Hostiensem et Velletrensem episcopum et Leonem tituli Sancte Crucis in Ierusalem presbyterum cardinalem, ad eum direxit, ut auctoritate apostolica ad litem terminandam data ab utrisque pace ad diem et locum condictum reges convenirent ibique mediantibus cardinalibus aliisque principibus qualicunque condicione pax inter eos reformaretur. ...

32. Ligurinus.

Guntheri poetae Ligurinus ... recens. ... Car. Georg. Dümgé. Vol. I, Heidelb. 1812.

Lib. I, 1–22.

Ardua sollicito versu, memorandaque seclis
Gesta cano: mundoque tuos, Friderice, triumphos,
Atque tibi toties conatam illudere frustra
Fortunam, vulgare paro: monstrique biformis
Ambiguos vultus, motusque volubilis orbem
Frenatum virtute tua, casusque sinistros
Exceptos habitu quo prospera mentis eodem.
Res onerosa quidem, nec praesumenda minori
Ingenio, magnisque etiam metuenda poetis.
Sed tamen exiguas amor et devotio vires
Supplebit: fragilemque animi spes magna vigorem
Fulciet: affectusque pios Fortuna iuvabit.
Iamque adeo, si quid studio possemus in isto
Experti, nosterque legi Solymarius audet,

Atque etiam fortasse placet: quem gratulor ante
Regales penetrasse domos, puerique potentis
Ingenuas tetigisse manus, praeludia quaedam
Illud opus, ceu prima novae tentamina Musae,
Et munus puerile fuit: nunc altera summo
Dona viro, scriptos propria de laude libellos
Offerimus: pariterque patrem cum prole canentes,
Omnibus ista simul consorti iure dicamus.

Lib. VI, 257–312.

Huc quoque Romano celebres a praesule missi
Legati venere duo, Bernardus, et ille,
Qui post in cathedra Rollandus, nomine verso
Dictus Alexander, multos, magnosque, tumultus
Pertulit Ecclesiae, cuius sub tempore longum
Schisma quater senos exarsit pene per annos.
His praeter solitum census ingentis amorem
Quo Romana suos inflammat curia cives,
Haec quoque causa viae fuerat; quia nuper ab illa
Sede gradum referens, famoso nomine quidam
Anglus, apostolica multum dilectus in aula
Praesul, Teutonicis foede tractatus in oris,
Et spoliatus erat: nec adhuc crudele, recensque
Flagitium, digna princeps mulctaverat ira.
Reddita magnifico super hac re pagina regi,
Plurima vana quidem, sed et hoc monuisse putatur:
Ut memor impensi tanti sibi Caesar honoris
Esset, et acceptae papa donante coronae;
Nunquam pontificem collati muneris alto
Poenituisse viro, nec si maiora dedisset
Praemia, tristitiae posthac onerive futurum.
Haec ideo princeps non contemnenda nec absque
Pondere suspectis credebat tradita chartis,
Quod prius Ausoniis dum versaretur in oris,
Audierat Latiae diffusum plebis in ora,
Et vulgo dici solitum: contingere nulli
Regna Latina viro, nisi cui Romanus amica
Traderet illa manu, Petri sub nomine, praesul.
Hoc quoque Romanae prostans in sedibus aulae
Vana loquebatur, qua voce licebat, imago.
Hic a Romano mendax antistite pictor
Fecerat imperii sumentem iura Lutherum
Stare genu flexo, nec non epigrammata vanus

Desuper addiderat, simulatis consona rebus.
Hanc Adrianus ei, ne verae semina cladis
Res simulata daret, penitus delere figuram
Pactus erat; sed adhuc minimi promissa laboris
Distulerat, fomesque mali vivebat imago.
Ergo ubi magnificis accessit epistola verbis,
Admonuitque virum: satis indignatus, ab illo
Imperium princeps se suscepisse negavit.
Cumque refragari legati, et dicere contra
Tentarent, et falsa sua pro parte monerent:
Infremuere duces, quos omnes aulicus ira
Ille comes praecessit Otho, gladioque cruentas
Acriter educto properabat sumere poenas.
Sed rex in media, famae non immemor, ira
Corripuit, tenuitque viros, iramque repressit:
Et satis implacide dimissos, iussit eadem
Qua venere via, vestigia tuta referre:
Nec tamen ad dextram sit copia, neque sinistram
Detorquere gradum, nec nocte diutius una
Uno stare loco, donec referantur in urbem.
Utque haec causa suae cunctis notesceret irae,
Protinus innumeris absentibus acta libellis
Innuit, et tales properat dictare querelas.

33. Gottfried von Viterbo.

Opera ed. G. Waitz, SS. 22, S. 1–338.

a) Pantheon (Liber universalis).

Pantheon. Incipit liber Gotifredi magistri Viterbiensis qui Pantheon intitulatur. Quicumque vult breviter et perfecte totum istum librum cognoscere, legat ante omnia capitula ista, que per triginta tres particulas sunt distincta. ...

(S. 133, 7) Nomen autem libri est panteon Gotifredi, sicut a Lucano Lucanus et ab Oratio Oratius. Hoc autem nomen interpretatur pax Dei. In lingua nanque Teutonica got dicitur Deus et pax dicitur fride. Inde Gotifredus pax Dei interpretatur. Ideoque hoc nomen huic operi satis convenire videtur, cum in hoc libro vetus testamentum cum novo et istorie Latine cum barbaris et prose cum versibus sub uno volumine tamquam invicem pacificate concordent. Estimo autem, in causis huiusscemodi, sicut mos est fieri, nonnullos emulos invidie livore torqueri; qui priusquam librum inspiciant et priusquam

eius elegantiam agnoscant, fient michi non equitatis iudices, set operis detractores. Adversus quorum insidias talem ad defensionem mei voluminis constitui armaturam, ut per singula pene libri capitula singula sint actorum nomina in testimonium presignata; que et lectoribus autoritatem exhibeant et me ipsum a detrahentium inmanitate defendant. ...

(S. 297, 14) Hec omnia supra dicta ego Gotifredus Viterbiensis, domini Frederici imperatoris capellanus, ab Adam usque ad tempora mea splendide lucideque digessi atque distinxi, regnante domino Henrico VI. Romanorum rege adolescente et domino Frederico imperatore mirifico contra Salahdinum regem Damascenorum et Babiloniorum in transmarinis partibus bella movente. Finem vero et eventum illorum bellorum adhuc si supervixero scribam. Alioquin secutura posteritas de futuris eventibus istorias, si placet, apponat. Annos tamen inpresentiarum ab Adam usque ad tempora Frederici et filii eius Henrici ad maiorem evidentiam in hoc loco per ordinem ponemus. ...

b) Gesta Friderici.

10. De initio discordie inter papam Adrianum et imperatorem F.

Cesar ut in patriam vexilla retorsit ab Urbe,
Grandis et orribilis discordia crevit in orbe;
Pax perit aecclesiae; scismatis error adest.
Federe connexus fuerat cum cesare papa:
Si foret interdum pars altera forte gravata,
Altera subveniat: stent ea pacta rata.
Absque pari voto cui consensisset uterque,
Nullum pacis opus Grecis pars altera prestet;
Sic neque cum Siculis pax agitanda fuit.
Federe corrupto, quo fertur papa teneri,
Migrat in Apuliam; vult cesaris hostis haberi.
Pactio nostra perit, Grecus amicus erit.
Hostibus imperii presul Romanus adhesit;
Federa dat Siculis, pariter dat federa Grecis:
Fit modo materies mortis et hora necis.

22. Actor arguit imperatorem, quia posuit populum Mediolanensem ante portam sue civitatis divisum in 4 villas, cum debuisset eum longius removere.

Arguo vos proceres et te simul arguo regem:
Non ita captivis facilem decet edere legem;

Tecta suae patriae quis rehabere neget?
Si captiva potest vulpis rehabere cavernam,
Arte sua latebram sataget retinere paternam,
Et iam capta semel cautius antra tenet.

30. Qualiter imperator per traditionem in civitate Segusia occidendus, fraude comperta, solo duce Bertuldo de Zaringa comitante, aufugit, et per montem Sinisium usque Gebennam civitatem ... occulte pervenit.

Sic decet, o lector, que nunc legis acta, notare:
Ut, dum Lombardos dominum loquor inde fugare,
Non quasi vulgares sint probitate pares.
Maxima dum minimam potuit devincere turmam,
Et dum sanus egrum subito certamine turbat,
Si pars egra luit, laus ibi nulla fuit.
Teutonicis gladiis potuit mare terra moveri,
Nulla potest paritas tante probitatis haberi.
Qui fuit eger heri, cras quoque sanus erit.
Sunt, fateor, Ligures animo populoque viriles,
Gens feritate valens proprias extollere vires;
Nec tamen est tenebris equiperanda dies.
Lombardia foro multoque referta colono,
Subdita Romano Romana lege patrono,
Leta sedet populo, milite, rure, bono.
Quantumcumque tamen dinoscitur aucta decore,
Cesaris ad laudem se conspicit inferiorem,
Huncque suum dominum iure subacta colet.

34. Helmoldi presbyteri Bozoviensis Cronica Slavorum.

Editio secunda. Post J. M. Lappenberg recogn. B. Schmeidler 1909 (SS. R. G.).[1])

Reverendis dominis ac patribus sanctae Lubecensis ecclesiae canonicis Helmoldus, ecclesiae quae est in Buzu indignus servus, debitae obedientiae voluntariam exhibitionem.

Retractavi in longa meditatione, quid operis acceptarem, quo matri meae, sanctae Lubecensi ecclesiae, aliquem famulatus mei honorem impenderem, sed nichil aptius occurrit animo, quam ut ad laudem ipsius scribam conversionem Slavicae gentis, quorum scilicet regum sive predicatorum industria Christiana religio his in partibus primum plantata et

1) *Vgl. auch die Auswahl bei Kötzschke, Quellen zur Geschichte der ostdeutschen Kolonisation (1912) S. 13–21.*

postmodo restaurata fuerit. ... Ego autem in eorum laudem, qui Slavorum provinciam diversis etatibus manu, lingua, plerique etiam in sanguinis effusione illustrarunt, operis huius paginam dicandam arbitror, quorum gloria non erit obstruenda silentio, quia post excidium Aldenburgensis ecclesiae Lubecensium inclitam civitatem Domino favente ad hunc decoris apicem provexerunt, ut inter omnes Slavorum opinatissimas civitates haec iam caput extulerit tam rerum opulentia quam religione divina. Porro aliis omissis quae nostra etate gesta sunt, quae aut longevis viris referentibus percepi aut oculata cognitione didici, statui Domino propicio cum fide perscribere, tanto sane effusius, quanto uberius suppeditat scribenda gestarum nostro tempore rerum magnitudo. Nec ad hoc opus temeritas impulsat, sed preceptoris mei venerabilis Geroldi episcopi adduxit persuasio, qui primus Lubecensem ecclesiam fecit insignem cathedra simul et clero.

De publica penitentia Heinrici regis. Cap. XXVIII.

... Domnus apostolicus zelo iusticiae permotus missis legatis vocavit regem ad apostolicae sedis audientiam. Qui secundam et terciam vocacionem dissimulans, ad ultimum familiarium consiliis astrictus timentium, ne regno iuste deponeretur, ivit Romam, ubi super his, unde iuste pulsabatur, sese pastoris permisit arbitrio. Accepit igitur in mandatis, ut anno integro Roma non discederet, equum non ascenderet, sed in veste humili circuiret limina ecclesiarum, orationibus et ieiuniis reddens dignum penitentiae fructum. Quod rex humiliter adimplere sategit.

Videntes igitur cardinales et hii qui de curia sunt, quia pre timore sedis apostolicae contremiscunt potestates et curvantur hii qui portant orbem, suggerunt apostolico, ut transferat regnum ad alium virum, dicentes indignum esse, ut talis regnet, qui de publicis convictus est facinoribus. Percunctanti igitur apostolico, quisnam in Alemannia dignus esset tanto culmine, designatus est dux Suevorum Rodulfus, quod scilicet fuerit vir bonus, amator pacis et circa cultum sacerdotii et ecclesiarum optime affectus. Cui domnus papa auream transmisit coronam hoc versu intitulatam:

Petra dedit Romam Petro, tibi papa coronam.

Precepitque Mogontino et Coloniensi ceterisque episcopis et principibus, ut adiuvarent partes Rodulfi et statuerent eum in regem. Quotquot igitur receperunt verbum domni papae,

elegerunt Rodulfum in regem, additique sunt parti eius Saxones et Suevi. Ceteri principum civitatesque quae sunt circa Renum non receperunt eum omnesque Francorum populi, eo quod iurassent Heinrico et iuramenta temerare noluissent. Porro Heinricus consistebat apud Romam mandatis obsecundans ignarusque malorum, quae adversus ipsum agebantur.

c. 40. ... Obiit interea Paschalis, cui substituit cesar Burdinum quendam, reprobato Gelasio, quem canonica electio statuerat. Factumque est denuo scisma in ecclesia Dei. Gelasius enim fuga elapsus in regno Francorum mansit usque ad diem mortis suae.

Longum est igitur per singula replicare turbulentias temporis illius, nec est temporis huius talium explanacio. Slavorum autem hystoria, unde longius digressus sum, reditum perurget. Quorum utique conversionem Heinriciani cesares non modice retardaverunt, domesticis videlicet semper pregravati. Qui vero actus eorum et terminum scismatis huius plenius nosse desiderat, legat hystoriam magistri Eggehardi, librum quintum, quem ad Heinricum iuniorem describens bona eius amplissima laude extulit, at male facta aut omnino tacuit aut in melius interpretatus est. ...

Electio Luderi. Cap. XLI.

Anno post haec incarnati verbi $M^0C^0XX^0VI^0$ obiit apud Traiectum Heinricus cesar, et successit in solium regni Luderus Saxonum dux. Indignati autem Francigenae virum Saxonem elevatum in regnum conati sunt alium suscitare regem, Conradum videlicet, consobrinum Heinrici cesaris. Prevaluit autem pars, quae fuit cum Ludero, abiensque Romam promotus est ad apicem imperii per manus Innocentii papae. Quo etiam suffragante Conradus eo usque propulsus est, ut se traderet in potestatem Luderi, qui et Lotharius, factusque est ex hoste amicissimus. Cepitque in diebus Lotharii cesaris oriri nova lux non tam in Saxoniae finibus quam in universo regno, tranquillitas temporum, habundantia rerum, pax inter regnum et sacerdocium. Sed et Slavorum populi agebant ea quae pacis sunt, eo quod Heinricus Slavorum regulus comitem Adolfum et contiguos Nordalbingorum populos omni benivolentia amplexatus fuerit. ...

Invidia principum de gloria ducis. Cap. CIII.

Sed quia gloria parit invidiam, et quia nil durabile in rebus humanis, tantam viri gloriam zelati sunt omnes principes

Saxoniae. Ille enim inmensis diviciis locuples, clarus victoriis et propter geminum Bawariae et Saxoniae principatum sublimis in gloria sua, omnibus Saxoniae tam principibus quam nobilibus inportabilis visus est. Sed manus principum formido cesaris continuit, ne concepta molimina transferrent in effectum. Postquam autem cesar quartam profectionem paravit in Italiam, et oportunitatem tempus adduxit, statim inveterata conspiracio processit in publicum, et facta est coniuracio valida omnium contra unum. ...

35. Arnoldi Lubecensis Chronica Slavorum.

Ex recens. J. M. Lappenbergii. 1868 (SS. R. G.).

lib. I, 1. De peregrinatione Heinrici ducis. Confirmata igitur pace in terra Sclavorum, ut dictum est, magis ac magis invalescebat potentia ducis super omnes inhabitantes terram, et sopita sunt bella civilia, mediante maiestate imperatoria, que erant inter ipsum et principes orientales. ...

10. Incidentia de rege Conrado. Dimissus itaque dux a soldano, deductus est Ismilam, inde Cunin, que est civitas Turcorum capitalis. Et inde progressus venit in terram desertam et aridam nimis, ubi dicitur Conradus rex stetisse cum exercitu suo, quia propter nimiam terre solitudinem multis ibi fame et siti deficientibus procedere non poterat. Traditus enim a ductore vie fuerat, quod consilio regis Grecorum quidam factum dicunt, eo quod idem Conradus in terra sua cum nimia multitudine diu fuerit et eum videre noluerit. Est enim quedam detestabilis consuetudo regi Grecorum, qui etiam propter nimium fastum divitiarum suarum imperatorem se nominat — quam tamen dignitatem a Constantino, eiusdem civitatis fundatore, traxerat — ut osculum salutationis nulli offerat, sed quicunque faciem eius videre meretur, incurvatus genua eius osculatur. Quod Conradus rex ob honorem Romani imperii omnino detestabatur. Cumque rex Grecorum in hoc consensisset, ut osculum ei porrigeret, ipso tamen sedente, nec hoc Conrado regi placuit. Tandem sapientiores ex utraque parte hoc consilium dederunt, ut in equis se viderent, et ita ex parilitate convenientes sedendo se et osculando salutarent. Quod et factum est. Propter hanc igitur causam vel quia vires Teutonicorum timebant, omnem exercitum illum peregrinum Greci tradiderunt, miscentes eis venenum in fontibus et traducentes eos in horridissimam illam solitudinem. Et sic misero fine immanis illa expeditio soluta est. ...

lib. V, 24. ... Circa ipsos dies mortuus est famosus ille dux Heinricus in Bruneswich, et cum Salemone de universo suo labore, quo laboravit sub sole, nichil est consecutus nisi memorabilem satis sepulturam una cum coniuge sua domna Mechtilde in ecclesia beati Blasii episcopi et martyris. Unus enim, ut idem Salomon testatur, interitus est omnium, et idem occasus sapientis et stulti, et moritur doctus simul ut indoctus. In omnibus autem et super omnia benedictus Deus excelsus, quia ante solem permanet nomens eius.

Princeps laudande, iam letus ad ethera scande,
Cultor pacis eras, nunc divitias tibi veras
Reddat rex regum, qui solus regnat in evum.
Enituit late virtus tua cum pietate,
Nobilitas morum cum flore decoris eorum.
Ad cultum Christi tu Sclavos perdomuisti,
Qui per doctores Sathane sprevere furores
Adque Dei cultum satagunt attollere vultum.
Structor multarum sic crederis ecclesiarum.
Non est gens, que te non miretur, bona de te
Dum recolit rite. Te noverat ultima Thyle,
Que sua donavit; te Grecia magnificavit;
Hierusalem, tota tua conspiciens pia vota,
Te colit e contra cum rege suo patriarcha.
Non aberat tristis livor virtutibus istis:
Set pro pressuris seclis potiere futuris.
Coniuge coniuncta maneat merces tibi multa,
Que Christo gratum pia deprompsit famulatum.
Excelsi donis durat benedictio prolis,
Et nutu Christi regnant modo, quos genuisti.

lib. VII, 20. Satisfactio scriptoris. Veniam legentium peto, ne quis presumptionis vel temeritatis arguere me velit, quia ista dictaverim, sciens quod multi gesta regum vel pontificum scripserint, sed, sicut ab initio dictum est, non temeritate, sed caritate ista prosecutus sum, volens continuare hoc dictamen operi Helmoldi sacerdotis, qui de statu terre nostre et regibus sive principibus multa premiserat, precipue vero de vocatione vel subactione Sclavorum, que per nobilem ducem Heinricum facta est, memorie fidelium perennare. Neque enim ista oblivioni tradenda puto, cum omnes oculata fide perspiciant gloriam ecclesiarum, devotionem fidelium, fidei et religionis incrementum in his borealibus regionibus, ubi sedes erat Sathane, nunc vero flatus austri, videlicet

Spiritus sancti gratia, que fugato aquilone perflatis hortis fidelium, innumera virtutam fluere facit aromata. Nec offendat quemquam, si secundum ordinem historie modo leta sive prospera, vel etiam ponam adversa, quia ista oportuit in noticiam venire et illa non omittere. Deus enim quandoque ad salutem suorum fidelium, quibus omnia cooperantur in bonum, nunc promittit prospera, nunc flagella. Si vero aliquid occurrerit, non ex toto suo ordine prosecutum, ipsum deputet assertori, non dictatori. Hoc ipsum tamen emendationi fidelium devotus relinquo, multum gaudens, quod de bono principio letum finem teneo.

36. Giselbert von Mons.

La Chronique de Gislebert de Mons. Nouv. éd. publ. p. Léon Vanderkindere, 1904 (Commission royale d'histoire; Recueil de textes pour servir à l'étude de l'histoire de Belgique).

c. 1. Cum de gestis et genealogia dominorum comitum Hanoniensium imperatorumque quorumdam Romanorum et Constantinopolitanorum, et regum Francorum, Iherosolimitanorum et Sicilie et Anglorum, multorum quoque principum et aliorum nobilium cum ipsis comitibus, sub brevitate dicere proposuerimus, ab Hermanno comite qui post quamplures comites comitatum Hanoniensem iure hereditario possedit, et cum eius uxore Richelde comitissa, muliere prudentissima ac potentissima, inicium habere volumus, ut inde ad Balduinum comitem, virum illustrem animosum et prudentem, Balduini comitis et Yolendis comitisse filium, qui uxorem habuit Aelidem comitissam, Montibus in monasterio Beate Waldetrudis, in superiori crypta sancti Iohannis Baptiste sepultam, — qui quidem comes post multos et inter multos labores bona comitatus sui Hanoniensis ampliavit, et demum Montibus in monasterio Beate Waldetrudis in superiori choro sepultus fuit — et ad eius filium Balduinum comitem Hanoniensem et primum marchionem Namurcensem, virum sapientissimum et principem potentissimum — qui ex parte uxoris sue Margharete Flandriam per aliquot annos possedit, defunctusque Montibus in medio monasterio Beate Waldetrudis ante altare beati Iacobi apostoli sepultus fuit — et ad eius successores lucidius transire possimus.

c. 68. Comes iste Balduinus scilicet, Balduini comitis et Alidis comitisse filius, acceptis hominum suorum tam nobilium quam servilis conditionis fidelitatibus, pacem et iusticiam

diligens, comitatum Hanoniensem in multis laboribus magnisque expensis viriliter et cum honore tenuit. Cui Deus, gratie copiam impendens, eum miro modo in actibus suis et bonorum suorum augmentatione plurimum exaltavit. Hic quidem comes, in dapibus semper affluens, domum suam honestis et splendidis cybis semper procuravit, servientibus suis hereditariis officia sua hereditaria plenarie recognovit et restituit, eosque diligens ubique locorum constitutus libentius secum habebat. De expensis autem eius grandibus tam in magnarum celebratione curiarum quam in guerrarum et tornamentorum exercitiis et de beneficiis probis militibus collatis, et quod milites semper verbis dulcibus et decentibus allocutus fuerit, nec pro aliqua commotus ira verbum aliquod turpe vel indecens contra eos moverit, tacendum non est. Hic eciam, quamvis secularibus deliciis deditus esset, tamen officiis divinis, scilicet missis et ecclesiasticis horis audiendis intendebat, pauperumque inopie compaciens escarum suarum largissimas eis impertiebatur elemosinas. ...

c. 88. In diebus illis in ecclesia Romana super electione summorum pontificum scisma diucius duraverat, in quo imperator Romanorum Fredericus, cuidam parti favens contra Deum et iusticiam, tribus obedivit electis, contra latam in eos excommunicationis sententiam consecratis, cum dominus Alexander papa ad honorem Dei de iusticia electus ac consecratus esset. Cui Ludovicus rex Francorum Francique universique christiani, qui Frederici imperatoris minas non dubitabant, prorsus obediebant. Fredericus autem Romanos et Tuscos Theuthonicosque suis apostolicis fecit obedire; attamen Lumbardi, Venetiaci et Pisani Alexandrum fovebant et ei obediebant. Tandem Deo volente Fredericus imperator, a malo recedens proposito suo, abiuravit apostolico Victori nomine, pedibusque Alexandri pape prostratus, misericordiam postulavit. Pace igitur et unitate universalis ecclesie in Venetia reformata, concilium anno eodem, scilicet anno Domini 1178, universis ecclesiarum prelatis Rome fuit indictum, dominica Letare Iherusalem, et Laterani celebratum. De quo Alexandro, viro prudente vividoque et admodum litterato et ad omnes in votis suis et iustis petitionibus benigno et mansueto ecclesieque rectore provido, miraculum satis manifestum evenit. Cum enim post beatum Petrum nullus in papatu tantum vixisset quantum ipse beatus Petrus, iste annis pluribus supervixit ut contra scismaticos prevaleret, et sancta ecclesia per eum in unitatem rediret.

c. 254. Hec omnia conscripta a Gisleberto, huius comitis clerico, scripto commendata sunt, qui gesta quorundam imperatorum et regum et comitum Hanoniensum et quorumdam comitum Flandrensium, qui predecesserant, ex scriptis ecclesiarum quamplurium collegerat et his iura Beate Waldetrudis amiscuerat et huius comitis Hanoniensis, principis illustris, actibus tam in prosperitate quam adversitate fere omnibus interfuerat, quem eius dominus comes cancellarium suum effecerat et eum in bonis ecclesiasticis promoverat, scilicet in prepositura Sancti Germani et Beate Waldetrudis custodia et prebenda et in Sonegiensi et Condatensi et Melbodiensi ecclesiis prebendis, et in Namurcensi abbatia Beate Marie, et in prepositura et custodia et prebenda Sancti Albani et in custodia et prebenda Sancti Petri Namurcensis.

37. Annales Palidenses.

A. P., auctore Theodoro, ed. Pertz SS. 16, S. 48–98.

Incipit Prologus considerationum cronicarum.

Eusebius Cesariensis episcopus, qui ecclesiasticam conscribit historiam, librum cronicorum, hoc est de temporibus, confecit, et a Nino, qui primus regnavit in Assiriis, et a patriarcha Abraham, a quo Hebrei sumsere principium, reliquorum regnorum et regum contemporales annos usque in vicesimum imperii Constantini augusti annum Graeci sermonis concludit historia. Post hunc successor perfectus universis factorum dictorumque monimentis presbyter Ieronimus, cognomento Eusebius, examinans et collaudans opus ipsius, et de Graeco in Latinum transferens, a vicesimo anno supradicti regis usque ad quartum decimum Valentis annum texuit historiam, nonnulla adiciens quae intermissa videbantur in Romana maxime historia, quam Eusebius non tam ignorasse ut eruditus, sed ut Graece scribens parum suis necessariam perstrinxisse videtur. Deinde Idacius Flaviensis episcopus a Graciano et Theodosio qui post Valentem imperavit, cursum annorum rerumque gestarum partim ex studio scriptorum, partim ex certo aliquorum relatu, partim ex propria cognitione quae subsecuntur adiecit usque ad decimum Leonis imperatoris annum. Postea sequitur opus Theodori, deinde ab ecclesiasticis viris pontificum et regum nomina ingesta, tempora quoque observata et descripta sunt. Verum de his aeonis et temporibus quae ante incarnationem Domini transierunt, correcti historiarum libri satisfaciunt. Sed attendendum de his

quae postea descripta sunt, quosdam ordinare cupientes seriem temporum minus diligenter considerasse, a quibus operis sui viam debuerant assumsisse. Plurimi enim libri in augmento vel diminutione numerorum, in transpositione vel omissione nominum, aut cum ab alio gesta alteri attribuuntur, in tantum a considerantibus variati inveniuntur, ut vix sit aliquis qui concordet cum altero. Quorum auctores computationibus suis fidentes, et catalogis pontificum et ordini regum a quibusdam inconsiderate compositis adtendentes, a directo tramite deviaverunt; qui si omissis omnibus ceteris Eusebium in cronicorum opere, quem sanctus Ieronimus commendat transfert et augmentat, et ecclesiasticum historie ordinem inspexissent, profecto duces veritatis secuti, plurimis quaestionibus suos sequaces absolvissent. Idcirco veritatis amatores sint admoniti, ut quia his doctoribus omnis ecclesia fidem iure accommodat, caeteris postpositis libris ac auctoribus, ab his ordinem et numerum personarum et annorum assumant. Scriptores quoque, qui librarii dicuntur, studiose attendant, ut inventam veritatem sua diligentia conservent; quia ut dicit sanctus Ieronimus, saepe vicium scriptoris imponitur auctori, et sciant Iudici vero se negligentia debitores, quorum vitio veridicus auctor falsificatur et posteris via erroris et contentionis aperitur.

Epistola Cristiani ad Honorium. ...

1. Anno incarnationis dominice 1138. Conradus genere Suevus, electione episcoporum et aliquorum principum apud Confluentiam successit in regnum, et regalia que Heinricus dux Bawariorum et Saxonum sub se habuit apud castrum Noremberg eum obsidens requisivit. Cui a nonnullis contradicitur, precipue Saxonie principibus, quia ducatum regionis ipsius absque consilio eorum Adelberto marchioni concesserat, volens eo privare ducem Heinricum sibi contrarium. Hinc denique animis accensi Conradus marchio, Fridericus palatinus, Sifridus et Rodolfus comites, instigante eos regina Richence, condixerunt ut pariter venientes dimicarent adversus marchionem Adelbertum. Anticipavit ille manum inimicam, et inopinate victor existens plures adversariorum captavit.

2. His gestis rex novus inminens natale Domini Goslarie celebravit, magna sue partis illic adunata nobilium multitudine. Eo tempore dux Heinricus latenter Saxoniam introivit, et obnitentes regi in suum contubernium ascivit. Crescente

odio ducis Heinrici et marchionis Adelberti, quorum unus dux in Bawaria pro desponsatione filie Lotharii regis etiam Saxonie ducatum ab eodem rege acceperat, alter eum avito beneficio iure sibi vendicans apud Conradum regem obtinuerat: hinc igitur eorum exardescente odio, Saxonica tellus alterno fedata est litigio. ...

8. 1159. ... Plura quoque miracula ante mortem eius et postea facta memorantur. Quo mortuo, in locum eius Paschalis subrogatur. Quod auditum cesar non inprobans, dixit, quia si catholice et recte incedentem eum communiter ecclesia diligeret, omnem subiectionem et servicium quod ius posceret se illi exhibiturum. Adtendat ergo lector et auditor, hoc scisma cesari non iuste inponi, cum sine ipsius conscientia ceptum, sepius dissipare et ad unitatem reformare laboraverit.

25. Anno Domini 1176. Mediolanenses inperatori rebellant, multis de parte eius captis et occisis. Episcopi et alii prelati ecclesiarum Teutonici regni Papiam evocantur ad inperatorem mense Novembri.

26. Anno Domini 1177. Heinricus dux et Otto marchio Sclavos cum exercitu petunt, urbem eorum Dimin obsident. In qua obsidione decem ebdomadibus exactis aliquantis etiam interim ex utraque parte prostratis, Sclavi datis obsidibus ne amplius fines suos transcenderent, ut ab urbe discederent impetraverunt. Eodem mense scilicet Augusto inperator Venetiam veniens celebrandi causa concilii ad reformandam unitatem ecclesie, gloriose ab Alexandro papa multisque aliis religiosis viris suscipitur. Habito itaque concilio, universalis ecclesie consilio papatus Calixto destituitur, Alexandro confirmatur, et inter alios quibus honor in scismate ablatus est, Halberstadensis episcopus Odelricus auctoritate Alexandri pape in episcopatum reducitur.

27. Anno Domini 1178. castrum Horneburg ex precepto ducis Heinrici destruitur. — Odelricus episcopus auxilio principum orientalium collem quendam haud procul a civitate Halberstad ceperat edificare; sed inpediente duce opus exstructum igne consumitur. Post duos menses rursus episcopus predictum opus adgressus, nive magna cadente ceptis destitit. Interim patria predis et incendiis vastatur, et ex parte ducis non pauci captivi ducti sunt.

31. Anno 1182. circa festum sancti Iacobi dux in exilium abiit.

38. Chronica regia Coloniensis.

Recens. G. Waitz, 1880 (SS. R. G.).

Pars prima a monacho S. Pantaleonis post addita. Recensio codicum B 1. C 2.

Cronica dicor ego, mendacia cuncta relego,
Mundi principio temporis acta scio.

2. A. D. 976. Domnus Gero Coloniensis antistes, constructor Gladebacensis cenobii, defungitur, et succedit in episcopatum domnus Warinus annis 10.

6. A. D. 980. Dedicatur ecclesia beati Pantaleonis 9. Kal. Novembris a venerabili Warino archiepiscopo.

9. A. D. 983. Otto [II.] imperator apud Calabriam, occiso exercitu a Grecis, de navi exiliens natando fugit.

10. A. D. 984. Otto imperator Rome moritur 6. Idus Decembris, et ibi sepelitur, relinquens regnum filio Ottoni [III.].
Anni Ottonis III.

A. d. i. 985, U. vero c. 1786. Otto tercius, filius Ottonis secundi, admodum puer, cum matre Theophanu imperatrice 83. loco ab Augusto Romanum imperium suscepit et per annos 17 strennue administravit. Ipso anno obiit domnus Warinus Coloniensis pontifex; cui successit Evergerus annis 16.

4. A. D. 988. Fames magna.

5. A. D. 989. Iohanni pape succedit Gregorius V, qui et Bruno, filius Ottonis [I.] imperatoris.

7. A. D. 991. Domna Theophanu imperatrix, mater imperatoris, obiit, et in basilica sancti Pantaleonis Colon. sepelitur, quam etiam dum advixit summo honore coluit et rebus propriis munificenter cumulavit.

Recensio I. codd. A.

1147. ... [De expeditione Iherosolimitana.]

Igitur eodem anno, qui est annus decimus Cuonradi tercii Romanorum augusti, mota sunt omnia regna Occidentis et accensa desiderio eundi in Ierusalem et visitare sepulchrum Domini ac dimicare contra gentes quae ignorant Deum et dilatare terminos christiani imperii in Oriente. Huius viae auctores maxime fuerunt Bernardus abbas Clarevallensis et quidam monachus nomine Ruodolfus. Ergo, ut diximus, non solum plebeii et milites, set et ecclesiarum multarum antistites, duces, comites, principes, ipsi etiam reges in hanc se expeditionem contulerunt. Rex etiam

Cuonradus et rex Francie Luodewicus, innumerabili stipati bellatorum agmine, iter hoc aggressi sunt. Nec vero aliquis poterit credere, quanta hominum multitudo cum eis et per eos adunata sit. Non ad excidium Troie tantam Grecia militiam misit, numquam Cirus rex tanta hominum vallatus est acie, et heu proch dolor! quo plures et forciores erant, eo minora virtutis suae reliquere vestigia. Nil quod Regie Cronice dignum sit imprimi hoc actum est itinere, tantum ea quae Romano plena sint rubore et infortunio. ...

Anno Domini 1152.

Rex Cuonradus apud Babinberg infirmitate decubans et diem mortis sibi adesse sentiens, duci Friderico, filio fratris sui, regalia tradidit, filium suum Fridericum adhuc parvulum commendavit et ut pro regno sibi adquirendo principibus loqueretur suasit; sicque rex vita decessit 11. Kal. Martii, anno regni sui 14, sepultusque est in predicta civitate. Huius regis tempora admodum tristia fuerunt. Nam inequalitas aeris, famis et inedie perseverantia, bellorum varius tumultus sub eo vigebant. Erat tamen vir militari virtute strenuus et, quod regem decuit, valde animosus; sed quodam infortunio res publica sub eo labefactari ceperat.

1156. ... Arnoldus[1]) Coloniensis archiepiscopus obiit; cui Fridericus, prepositus Sancti Georgii, successit.

Gravis dissensio inter papam et domnum imperatorem oritur. Nam papa quondam Innocentius Romae in muro pingi fecerat se quasi in throno pontificali sedentem, imperatorem vero Lotharium complicatis manibus coram se inclinatum coronam imperii suscipientem. Fuit et aliud incentivum et fomes discordiae. Imperatore enim curiam habente cum primoribus regni apud Bisuntium in Burgundia, affuerunt ex parte papae duo cardinales litteras apostolici ad eum deferentes, in quibus inter alia hoc continebatur: Beneficium coronae tibi contulimus, neque penitencia moveremur, si excellentia tua maiora a nobis beneficia suscepisset. Hoc verbum pro feodo interpres cesari interpretatus est. Hoc audito, imperator in iram nimiam accenditur, set et cuncti principes et amici imperatoris predictum verbum nimium ventilantes, in tantam iram exarserunt, ut eosdem cardinales acerrima morte peremissent, nisi auxilio et ductu imperatoris liberati citius migrassent. Ait ergo imperator: ‘Quod a solo Deo habemus,

1) *Vgl. dazu die Recensio II.*

hoc ipsi pro feodi beneficio computant? Numquam in hoc consentientes erimus, set primam vocem electionis regiae episcopo Mogontiensi recognoscimus, regalem consecrationem episcopo Coloniensi, imperialem consecrationem Romano pontifici, coronam vero imperii soli Deo attribuimus. Picturae deleantur, scripturae corrigantur, alioquin inter me et eum numquam erit pax.' Audita itaque Romae ira et causa irae imperatoris, magno timore papa et omnes cardinales et cuncti Romani perculsi sunt, et crebris epistolis, quas ad eum et proceres dirigebant, mitigare furorem animi eius nitebantur, dicentes, quod non recte verbum illud, scilicet beneficium, interpretatum esset, eo quod apud eos beneficium non feodum, sed quasi benefactum haberetur. Illud ergo seminarium discordiae inter Romanos et imperatorem erat. Nec hoc latet, quod domnus papa, audito imperatoris adventu ad vincula sancti Petri Roma discedens, iuxta pratum quoddam cum cardinalibus suis consilium habuerit, ut domnum imperatorem excommunicaret, et vix peracto hoc consilio, noctu vita decesserit; et quod plurimi cardinales hoc se voto constrinxerint, quod, si domnum papam vita decedere contigisset, nullum ei successorem, nisi qui eiusdem esset propositi et voluntatis contra imperatorem, eligerent. Unde post obitum eiusdem papae magna discordia et scisma lugendum omnibus ecclesiae filiis in aecclesia Dei factum est, ceteris cardinalibus conventionem et votum eorum ignorantibus,

A 2. A 1.

et usque in hanc diem huius | duravitque per 16 annos. scismatis perseverat periculum.

Rec. I. et II. 1167.... His ita prospere et laudabiliter gestis, miserrima supervenit clades et pestilentia, Romanis finibus semper amica, quae, ut in Ezechiele legitur, a sanctuario Dei incipiens, omnes pene sacerdotalis ordinis dignitates deiecit, principes prostravit. Primo Daniel Praiensis episcopus, dein Alexander Leodiensis episcopus in vigilia beati Laurentii obierunt; dein domnus Reinoldus archiepiscopus, vir sapientia et industria mirabilis et in quo maxima pars gloriae imperatoris erat, in vigilia assumptionis beatae Mariae decessit, omnibus sacramentis ecclesiasticis, scilicet confessione, communione, unctione, devotissime susceptis, et testamento suo commendabiliter ordinato et conscripto. ...

39. Burchardi Urspergensis Chronicon.

Unter dem Titel: Burchardi et Cuonradi Urspergensium Chronicon hrsg. v. Pertz, 1874 (SS. R. G.).

Interpositio. Eo tempore conspiratio facta est contra imperatorem, ut asserit quidam scriptor Cremonensis, de cuius editione haec, quae narramus, excerpsimus. Idem quoque scriptor testatur, haec se audisse a viris probatissimis et veracissimis et valde religiosis Mediolanensibus et Brixiensibus, qui se huic conspirationi interfuisse dixerunt. In qua conspiratione se astrinxerunt maxima pars cardinalium sedis apostolicae, Wilelmus quoque rex Siciliae et pene universae civitates Italiae cum multis baronibus et viris potentibus: dataque est immensa pecunia domino Adriano papae, ut ipse imperatorem excommunicaret.

Anno Domini 1198. Heinricus imperator obiit in Sicilia et in ecclesia Panormitana magnifice est sepultus. Erat autem imperator Heinricus prudens ingenio, facundus eloquio, facie satis decora, plus tamen macilenta, statura mediocris, corpore tenuis et debilis, acer animo ideoque inimicis suis erat pavendus et terribilis; vanitatibus deditus maxime venationum et aucupiorum. Multi asserebant, eum interisse veneno, procurante uxore sua, pro eo quod nepotes ipsius suppliciis interfecerat, quod tamen non est verisimile, et qui cum ipso eo tempore erant familiarissimi hoc inficiabantur. Audivi ego id ipsum a domno Cuonrado, qui postmodum fuit abbas Premonstratensis et tunc, in seculari habitu constitutus, in camera imperatoris exstitit familiarissimus. ...

Extat adhuc epistola prefati Innocentii directa ad Bertholdum ducem Zaringiae, in qua contra Philippum multa absurda et quaedam falsa describuntur, quam fecit interseri in compilatione decretalium suarum, quas magister Petrus Beneventanus, subdiaconus ipsius, postmodum in uno volumine compegit, distinguens eas sub certis titulis et librorum differentiis secundum convenientes sententias. Tunc coepit papa frivolis insistere obiectionibus et exceptionibus, quatenus ipsum impediret, sententiam obiciens ei excommunicationis. Nam cum in Tuscia gereret adhuc principatum, dicebatur quod Celestinus predecessor suus ipsum excommunicaverit. Sane, ut plus indevotum posset eum comprobare, si non eius monitis acquiesceret, misit episcopum Sutrinum ad repetendum ab eo vades de Apulia, quos olim frater ipsius Heinricus imperator iusserat exoculari. At ipse Philippus, ut erat mansuetus et benignus, cum audisset de sententia excommunicationis,

petivit humiliter ab eodem legato absolvi; insuper vades prefatos domno papae remisit. Quocirca papa, ut odiosum plus redderet Philippum, comites illos caecos et viros nobiles et personatos fecit demonstrari multis in curia Romana existentibus. Ego quoque, in minori aetate et seculari vita constitutus adhuc, eo tempore constitutus Romae, vidi eosdem. Episcopum quoque predictum Sutrinum, pro eo quod illicite absolverit Philippum excedens fines mandati, sicut in pretaxata epistola sua expressit, privatum episcopatu relegavit in quandam insulam maris quodam monasterio districto, ubi ille feliciter vitam finivit.

Audivi etiam eo tempore, quod tamen difficile est relatu et vix credendum, quia dixerit idem papa, quoniam ablaturus esset Philippo diadema regium, aut ipse sibi papae insigne apostolicum. Ceterum quamvis non sit credendum, quod voluntatem suam divinae voluntati pretulerit, constat tamen, quia omni tempore adversabatur eidem. Deus autem ex alto prospiciens non permisit, ut per totam Alamanniam deperiret cultus divini officii et ecclesiasticae dignitatis, quae duo honestius ibi consistunt, quam in aliis gentibus, licet ubique per incentiva vitiorum maximeque luxuriae depravata sint.

His interpositis de oppositione sedis apostolicae, ut regium genus deperiret, redeamus ad describendum labores, quos iniquissimorum principum machinatione sustinuit in Alamannia....

Vix (enim) remansit aliquis episcopatus sive dignitas ecclesiastica vel etiam parochialis ecclesia, quae non fieret litigiosa et Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude, mater nostra Roma, quoniam aperiuntur kataractae thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi et aggeres nummorum in magna copia. Laetare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare super adiutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum premia. Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum devotio aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio et litium decisio precio comparata. Haec hactenus de exortu scismatis in regno dicta sufficiant. Nunc de bellis propter haec gestis dicamus.

1228. ... Papa vero captata occasione de absentia imperatoris copiosum exercitum destinavit in Apuliam et terras imperatoris in servitio Christi demorantis, quod nefandissimum est dicere, abstulit et sibi subegit et cruce signatos ne transfretarent omni studio prohibuit tam in Apulia quam in Lombardia. Quis talia facta recte considerans non deploret et detestetur, quae indicium videntur et quoddam portentum, et prodigium ruentis ecclesiae.

1229. ... Dum haec agerentur in ultramarinis partibus, papa cum suis complicibus, ut asserebant homines, famam fecit in Apulia divulgari, imperatorem esse mortuum. Quocirca civitates, quae adhuc adhaerebant imperatori, disponebant se tradere sub dominio papae et omnes Alamannos de Terra sancta redeuntes et ibidem in Apulia demorantes durissimo et nequissimo facinore interficere. Sed Deus misericors aliter providit et homines suo servitio deditos ad laudem et gloriam nominis sui clementissime conservavit. ..

40. Annales Marbacenses qui dicuntur.

(*Cronica Hohenburgensis cum continuatione et additamentis Neoburgensibus*) *recogn. Herm. Bloch, 1907* (*SS. R. G.*).

Anno Domini MXCVIIII. Urbanus papa secundus post multas tribulationes de hac luce migravit, pro quo Paschalis papa II. ordinatur.

Eodem anno Ierusalem a gente Francorum et a duce Godefrido capitur, et multa laudabilia, sicut liber expedicionis eorum narrat, ibidem peraguntur.

Ipso anno inchoatur Cysterciensis ordo et per multas provincias mundi dilatatur ad laudem et gloriam domini nostri Iesu Christi et cepit crescere in virtutibus et religione, sicuti actenus cernitur in omni gente et natione.

Anno Domini MC. Facta est fames incomparabilis et mortalitas horribilis.

Otto quoque Argentinensis scismaticus, de Ierosolimitano itinere reversus, sed de scismate, ut putabatur, non emendatus, diem clausit extremum; cui Baldewinus VI. tantum victurus ebdomadam successit. Cui eodem anno Cůno episcopus successit.

Anno Domini MCV. Ecclesia a Burchardo primo fundata Marbaco dedicata est a venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo in honore sancti Augustini episcopi.

Anno Domini MCVI. Imperator apud Leodium defunctus, corpus eius in Spiream civitatem deportatur ibique in ecclesia sancte Dei genitricis, quam ipse miro et arteficioso, sicut hodie cernitur, construxerat opere, iuxta patrem avum-

que sepelitur cultu regio; et diuturnum scisma finem accepit. Heinricus vero filius eius iam pridem a principibus coronatus et in regno confortatus, qui etiam patrem persecutus erat, regnabat.

Altero anno terre motus factus est magnus.

Anno Domini MCXV. Dedicatum est altare omnium sanctorum Marbacense a venerabili Růdolfo Basiliensi episcopo XVII. Kal. Decembris.

1184. ... Eodem anno imperator apud Veronam civitatem Ytalie cum papa Lucio circa Kal. Novenbris colloquium habuit. ...

Interim defuncta est filia imperatoris, quae fuit desponsata filio regis Ungarie; nec diu postea obiit Beatrix imperatrix.

Interea rex Heinricus curiam apud Augustam civitatem Recie habuit; ubi desponsavit Constantiam filiam regis Apulie Rogerii.

Eodem anno estas calida et sicca, sed in mense Novembri maxima inundatio aquarum fuit. ...

Ipso anno Heinricus colloquium habuit apud Erphurdiam nobilem Turingie civitatem cum aliquibus principibus et aliis baronibus. ...

Anno Domini MCCI. Preclarissimus princeps Phylippus rursum exercitum colligens Mosellam transivit, Coloniam obsedit, Brunonem episcopum cepit, et sic civitatem et totam provinciam ad dedicionem coegit. Postea Aquisgrani veniens cum multis principibus in sede regni una cum regina sedit ac deinde prospere ad propria rediit; et negocia pacis inter papam et ipsum per legatos tractantur. Erat enim sibi in omnibus contrarius, quantum potuit, propter antiquum odium sui patris et Ottonem dilexit et ipsi, quantum poterat, consilio et auxilio fideliter astitit. ...

1212. ... Ipso tempore facta est nugatoria quaedam expeditio, pueris et stultis hominibus sine aliqua discretione signum crucis arripientibus curiositatis causa potius quam salutis. Pergebant autem de utroque sexu pueri et puelle, non solum minores, sed etiam adulti, nupte cum virginibus, euntes vacua crumena, non solum per totam Alemanniam, sed etiam per partes Galliarum et Burgundie. Nec retineri poterant ullo modo a parentibus et amicis, quin totis conatibus iter illud arriperent, in tantum ut passim per villas et agros, relictis instrumentis suis et hiis quae tunc pre manibus habebant, transeuntibus se sociarent. Et sicut ad tales novitates sepe et de facili credula turba sumus, multi quidem arbitrati sunt

hec non de levitate mentis, sed per divinam inspirationem fieri et ex quadam pietate; unde et subveniebant eis in expensis, victum et necessaria ministrantes. Clericis autem et aliis quibusdam quibus erat mens sanior contradicentibus et iter illud vanum et inutile iudicantibus, vehementer laici resistebant, dicentes clericos esse incredulos ipsosque propter invidiam et avariciam huic facto se opponere magis quam propter veritatem et iusticiam. Sed quoniam omne negotium quod sine libramine rationis et sine vigore consilii fuerit inchoatum non bonum sortitur exitum: postquam hec stolida multitudo pervenit ad partes Ytalie, diffusi sunt et dispersi per civitates et oppida, quorum multi ab indigenis terre detenti sunt in servos et ancillas. ...

Continuatio. Anno MCCXIII. Fridericus curiam Aquisgrani in festo beati Iacobi habuit. Ubi de consensu principum locatus est in sedem regni et ibidem cum multis aliis cruce signatus est, predicante magisto Chůnrado tunc decano, qui postea factus est Hyldensheimensis episcopus.

Hoc tempore Otto imperator quoddam cenobium sanctimonialium nomine Quittelineburch, pro eo quod parentes et cognati monialium quidam nobiles sibi adversari ceperant, muniri fecit et ibidem presidium militum collocavit. ...

Anno MCCXIIII. Otto imperator, mortua uxore sua filia Phylippi regis, copulavit sibi in matrimonium filiam ducis Brabantini. Quo secum assumpto Ferrandus comes Flandrie, simulque de Anglia, Saxonia et de aliis undecumque partibus collecta multitudine, consilio nimis precipiti in Gallias duxit exercitum, pugnaturus contra Phylippum regem Francie. Quo comperto Phylippus extimuit, metuens Ottonem; tandemque confortatus a suis occurrit ei in confinio Galliarum et Flandrie. Ubi facta congressione victoria, licet insperata, cessit Phylippo. ...

Eodem anno celebrata est sancta universalis synodus Rome in ęcclesia Salvatoris quae Constantiniana vocatur mense Novembri, presidente domino Innocentio III. papa, pontificatus eius anno XVIII. ...

Ante tempora huius concilii fere triennio disponente Deo, qui verus est agricola, quidam palmites infructuosi precisi sunt ab ęcclesia Dei et subdole vulpes, quae demoliuntur vineam Domini, extracti sunt de foveis suis, hoc est heretici, qui perverso dogmate latenter seducunt fideles ęcclesiae, comprehensi sunt in civitate Argentina. ...

Anno MCCXXII. De terra Persarum exercitus magnus valde et fortis, egressus de finibus suis, per adiacentes sibi provincias transitum fecit, qui dicebantur fuisse homines magne proceritatis et stature horribilis; quod tamen non credimus. Sed qua de causa egressi fuerint vel quid egerint, ignoramus. In brevi vero reversi sunt ad propria. Dicebant tamen quidam, quod versus Coloniam vellent ire et tres magos de gente eorum natos ibidem accipere. Unum tamen scimus, quod Iudeorum gens super eodem rumore ingenti leticia exultabant et vehementer sibi applaudebant, nescio quid de futura libertate sua ex hoc provenire sibi sperantes; unde et regem illius multitudinis filium David appellabant.

41. Die Sächsische Weltchronik Eikes von Repgow.[1])

Hrsg. v. Ludw. Weiland, Mon. Germ., Deutsche Chroniken, Bd. 2.

Ich han mich des wol bedacht:
diz bûch ne wirt nimmer vollenbracht,
de wile diu werlt stat:
so vile wirt kunstiger dat.
des mûz diu rede nu bliven.
ich ne kan nicht scriven
daz noch gescen sol;
mir genûgit hiran wol.
swer so leve vorebaz,
swaz dan gesche, der scrive daz,
unde achtbare warheit.
logene sal uns wesen leit,
daz ist des van Repegouwe rat.
logene gesproken missestat,
gescreven tot siu groten val
der sele; des sit gewarnet al,
swer so logene scrivet.
unvergeven blivet
diu logelike sunde.
die wile ir got urkunde
hat an den, die sie da lesen,
so mûz er unvergezzen wesen.

179. Do vorsched de paves Alexander; na ime koren de Romere to pavese den monik Hildebrande ane des koninges willen, wante se êr ane den koning nenen paves kiesen ne mochten. Dit is de sevede Gregorius de paves, de dede oc den koning Heinrike to banne. Dit is oc de Hildebrant, des tymbermanes sone, van deme dromde deme koning Heinrike, wo he sinen sone, den selven koning Heinrike, mit twen hornen, de ime gewassen waren, in dat hore worpe. De selve Hildebrant ward Gregorius geheten; under deme ward sere beweget dat rike, unde ward in der cristenheit grot missehellunge. Do ward allererst twischen deme stole to Rome unde deme Romischen rike de missehellunge, de noch hude des dages waret; diu ne wirt oc nimmer tovort, it ne do god selve van sinen genaden. De paves Gregorius ladede do den koning Heinrike to Rome, alse de paves Alexander hadde gedan.

1) *Vgl. auch Sachsenspiegel III 42 und 44 sowie den Textus prologi.*

262. ... In den tiden to Palborne irschenen twe ringe umme de sunnen, 3. Kal. Iulii an dem midden morgene; de minnere ring ging umme den dom, de grotere umme de stat. Des selven dages umme nontit verbarn de stat vil na al unde de dom garlike. De sunne verging also sere, dat men de sternen sach 4. Non. August. In den tiden de koning van Denemarken stumelede al de Dudischen, de in sime lande weren. Darumme vor de keiser Luder up in mit groteme here. De koning bat den keiser gnaden, wande he sic irweren nicht ne mochte. De keiser legede do enen hof to Halverstat in deme nagesten jare to den paschen; dar quam de koning van Denemarken unde gaf sic an des keiseres gnade; he untfieng oc sin koningrike van deme keisere unde swor dat mit sinen vorsten, dat he unde sine nakomelinge immer mer van den keiseren ire cronen untfan solden unde ire rike van deme Romischen rike hedden. Dise ere gewan deme Romischen rike de keiser Luder.

329. Do clageden de vorsten alle over den hertogen Heinrike, unde de marcgreve Dideric van Landesberch sprac up ene kamplike dur dat de Wenede hadden gebrant de marke to Lusiz mit des hertogen rade. De keiser legede deme hertogen hof na hove; oppet lest do he nicht vore ne quam, do dede in de keiser to achte dur den marcgreven Diderike. In der achte belef he jar unde dach, darumbe ward eme verdelet echt unde recht unde egen unde len; dat egen in de koninglike walt, dat len al sinen herren ledich. Des verloren sine kindere dat egen, dat se it ut der koningliken walt nicht ne togen binnen jare unde dage.

356. Bi des keiser Otten tiden hadde de paves Innocencius en grot concilium to Rome, dar alle bischope unde alle abbede unde prelate waren gesamenet van Dudischer tungen unde van Walscher. Dar worden verleget twe sibbe, dat men in der viften wol bruden mot, alse men êr dede in der seveden. Na pavese Innocencio ward Honorius paves.

357. In deme 1218. jare van goddes bort ward de koning Vrederic, des keiser Heinrikes sone, koning ane werren, de vif unde negentegeste van Augusto, unde was daran ... jar.

Deme antworde de hertoge Heinric, des keiser Otten broder, dat rike to Goslare. Bi den tiden was en husman

in dem lande to Stade, de het Othbern, de underwant sic des, dat he tekene dede, unde droch menegen man, unde wande dat gemene volk, dat he hilech were, unde sochte ene dat volk van menegeme lande unde brachten eme offer. In der tit ward Vurde gewunnen deme hertogen Heinrike an van den dienestmannen van Bremen, unde ward Othbernes tusche tostoret.

360. Aldar starf de bischop Gerat van Bremen, unde ward na ime en ander Gerat bischop. Do ward versont dat lange orloge twischen deme stifte to Bremen unde deme hertogen Heinrike van Bruneswic, also dat de hertoge sine dienestman unde sin egen in der grafschap to Stade deme godeshuse to Bremen gaf.

C.

Do lech ime de bischop wider dat selve egen unde de denestman unde de grafschap to Staden. Do spraken ettelike lude, dat he't nicht don ne machte ane erven lof, ettelike, dat he't don mochte sunder erven lof. Dar ward enes ordeles umbe gevraget; do vant men to rechte: were he en Swavei, he moht'it wol don. Dat is wol witlic, dat he nen Swavei ne was, wane en recht Swaf van allen sinen alderen.

B.

Unde de biscop lech eme de grafscap to Stade. Dese gift, de de hertoghe gaf deme godeshuse, de stedeghede keiser Vrederic mit siner guldenen hantveste lange darna to deme hove to Ravene.

In den tiden buede de koning van Denemarken Revele to Estlande.

373. Dar na over en jar do sich de keiser mit dem pavese nicht vorevenen ne conde, he vor under banne over mere, unde hadde gelaten beredet ene evenunge twischen den heidenen unde der cristenheit, dat men eme dat lant to Jherusalem allet weder laten solde. Des hinderede ene de paves unde de patriarcha van Jerusalem unde de Temple unde de Spetal, unde umboden deme soldane, he were der evenunge ungewaret jegen den keiser unde de cristenheit. Do buwede de keiser Dgaf, unde gaf ime de soldan Jerusalem weder unde Bethleem unde Nazareth unde des landes vele. Do gieng de keiser gekronet to Jerusalem in deme sonendage vor mitvasten unde vor sente Marien dage. Do was it oc dat 1229. jar van goddes bord. Des anderen dages vorbot de patriarcha goddesdienest to Jerusalem, darmede

bedrovede he al de cristenheit de dar was. De wile dat de keiser over mere was, gewan eme de paves af siner stede unde siner burge vele, wante he let predegen [inde sweren 11. 12], dat de keiser dot were. Do dit de keiser vernam, he vor herwider over mere unde gewan mit groter kost unde mit groteme arbeide sin lant unde sine burge weder mit der Dudischen pelegrime helpe.

375. In deme anderen jare ward de paves unde de keiser verevenet, unde let ene de paves ut deme banne. Darna starf de hertoge Lippolt van Osterrik. ...

382. ... Des selven jares to herremissen voren de pelegrime van Liflande uppe de Lettouwen, unde worden geslagen twe dusent der pelegrime. Darna voren de van Meilan unde ere helpere jegen den keisere mit groteme here, unde de keiser jegen se mit vile minneren here. Do sic de keiser scharede, do quam en weldich man van Cremun, de segede to deme keisere: 'Du leztich uppe der Dudischen manheit unde ere ellen dumlike weder so overgrote menie.' Do sprac de keiser: 'Ic wil se bestan uppe de goddes gnade unde up min recht', unde stridde mit in manlike. Do gewan he den sege unde wart gewunt; dar worden geslagen unde gevangen mer dan viftein dusent, unde vieng eren stanthart karroze unde den potestat, unde sande den karroze to Rome, den satten de Romere up ere capitolium. Des anderen jares let he den potestat hân boven dat mere; he gaf doch alle dage, alse he at, en punt grossen. Darna legede de keiser enen hof to Berne, dar let he bidden de Dudischen vorsten unde de herren.

392. Des anderen jares vor de paves to Rodenleve unde legede dar en concilie; dar ladede he alle bischope; der quam dar vile unde vile volkes van menegen landen. Dat concilium ward grot; de keiser ne quam dar nicht unde sande dar sine boden, de segeden, he ne dorfte to rechte dar nicht komen, unde untsculdegeden ene des de paves up ene sprac. Se beden eme enen dach, dar de Dudischen vorsten tokomen mochten, de an deme rike den kore hadden; des ne gescha nicht. Seder dede he ene to banne unde gebot den bischopen, dat se dat selve deden. Van des paveses gebode eschede men van den papen den twintegesten del unde den viften del unde den halften del erer orbore, dat êr ne gescha; darto sande he den legat an Dudisch lant, de bot, dat men predegede dat cruce uppe den keiser. Do koren se den lantgreven

Heinrike van Duringen to koninge bi Wirceburch; dar ne was nen leien vorste, wane he alene. Dat vorderede de bischop van Megenze unde de van Colne unde oc andere bischope. Do legeden se up enen hof to Vrankenevorde, dene satte koning Conrad, des keiseres sone, de hadde sic darto gesamnet. Darna quam de nîe koning mit groteme here, unde erhof sic en strit; dar behelt de nîe koning den sege, unde worden gevangen mer dan seshundert riddere.

Heinrike van Duringen to koninge bi Wirceburch; dar ne was nen leien vorste, wane he alene. Dat vorderede de bischop van Megenze unde de van Colne unde oc andere bischope. Do legeden se up enen hof to Vrankenevorde, dene satte koning Conrad, des keiseres sone, de hadde sic darto gesamnet. Darna quam de nie koning mit groteme here, unde erhof sic en strit; dar behelt de nie koning den sege, unde worden gevangen mer dan seshundert riddere.

Quellensammlung zur deutschen Geschichte (Forts.):

Die politischen Testamente der Hohenzollern nebst ergänzenden Aktenstücken. Von Georg Küntzel und Martin Haß.

I. Heft: Die Hofordnung Joachims II. Die politischen Testamente des Großen Kurfürsten von 1667 und Friedrich Wilhelms I. von 1722. [VI u. 94 S.] 8. 1911. Steif geh. M. 1.60.

II. Heft: Friedrich der Große. Das politische Testament von 1752 nebst Ergänzungen. — Friedrich Wilhelm III. „Gedanken über die Regierungskunst" von 1796/97. Denkschrift über das preußische Heerwesen vom November 1797. Generalinstruktion für die Kommission der Finanzen vom 19. Februar 1798. [VI u. 155 S.] 8. 1911. Steif geh. M. 2.20.

„Die beiden Bändchen bieten ein bisher schwer zugängliches Material zur preußischen Geschichte, das sich jeder Geschichtsfreund zunutze machen kann. Die Testamente führen in vortrefflicher Weise in das Wesen der Hohenzollern und ihre ganze Auffassung vom Herrscherberufe und die Ziele ihrer Politik ein, so daß ich mir für den Geschichtsunterricht an den höheren Schulen keine bessere quellenmäßige Einführung zum Verständnisse der drei großen Hohenzollern denken kann." (Verband histor. Ver. an Dtsch. Hochschulen.)

Briefe, Aktenstücke und Regesten zur Geschichte der hohenzollernschen Thronkandidatur in Spanien (1866—1870). In zwei Heften herausgegeben von Richard Fester.

I. Heft: Bis zum 6. Juli 1870 (Gramonts Erklärung). [VI u. 164 S.] 8. 1913.

II. Heft: Die Emser Verhandlungen und die Nachspiele der Kandidatur. [IV u. 210 S.] 8. 1913. Steif geh. je M. 2.20.

„Hier ist ein für den Geschichtsforscher sehr wertvolles Quellenwerk geboten, welches der großen amtlichen, wohl erst in sieben oder acht Jahren abzuschließenden Veröffentlichung des französischen Ministeriums über den Ursprung des Krieges vorauseilt und neben tiefen Einblicken in diplomatische Getriebe jener Zeit zur richtigen Beurteilung der handelnden Persönlichkeiten, vor allem Bismarcks, beiträgt." (Militär-Literatur-Zeitung.)

Briefe und Aktenstücke zur Geschichte der Gründung des Deutschen Reiches (1870/71). Von Erich Brandenburg.

I. Heft: Vorverhandlungen. (Bis zur Eröffnung der Konferenzen in Versailles 23. Oktober 1870.) [VI u. 94 S.] 8. 1911. Steif geh. M. 1.80.

II. Heft: Hauptverhandlungen in Versailles. [147 S.] 8. 1911. Steif geh. M. 2.—

„Was in amtlichen Schriftstücken und privaten Veröffentlichungen von Staatsmännern, Diplomaten und Parlamentariern an Material zur Geschichte der Reichsgründung niedergelegt ist, findet sich hier in Auszügen zusammengefaßt, die das Wesentliche um so schärfer hervortreten lassen, als das nicht zur Sache Gehörige ausgeschieden, das minder Bedeutsame nur insoweit mitgeteilt worden ist, als es dem Hauptzwecke dienen kann. Sehr zu wünschen ist, daß die Sammlung auch Eingang in die Kreise der Gebildeten überhaupt finde." (Deutsche Literaturzeitung.)

Die deutschen Parteiprogramme. Von Felix Salomon.

I. Heft: Von 1845—1871. 2. Aufl. [X u. 147 S.] 8. 1912. Steif geh. M. 1.80.

II. Heft: Von 1871—1912. 2. Aufl. [VI u. 176 S.] 8. 1912. Steif geh. M. 1.80.

„Was hier an programmatischen Kundgebungen vor uns liegt, ist nicht sowohl für den Historiker, sondern auch für die große Allgemeinheit der politischen Interessenten von höchstem Nutzen. Und zwar, weil hier einwandfrei und von allen Mängeln parteiisch gefärbter Kritik gesäubert übersichtlich und systematisch, ein Überblick über die Entwicklung unserer politischen Parteien gewährt wird." (Dtsch. Warte.)

Marsilius von Padua, Defensor Pacis. Für Übungszwecke bearbeitet von Richard Scholz. [VIII u. 131 S.] 8. 1914. Steif geh. M. 2.20.

Der Defensor Pacis des italienischen Publizisten (verfaßt 1324), das bedeutendste Erzeugnis mittelalterlicher politischer Schriftstellerei und eines der merkwürdigsten und epochemachendsten Bücher der gesamten Literatur, ist eine kühne und gedankenreiche Streitschrift für die Souveränität des Volkes gegen den päpstlichen Primat; bis ins 16. Jahrhundert hinein hat es in den Kämpfen zwischen Staat und Kirche eine wichtige Rolle gespielt. Mangels einer kritischen und bequem zugänglichen Ausgabe suchen die vorliegenden Auszüge mit Weglassung aller scholastischen Weitschweifigkeiten die Lektüre des Werkes zu erleichtern, um es namentlich auch für Zwecke des akademischen Unterrichts nutzbar zu machen.

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig und Berlin

Grundriß der Geschichtswissenschaft

Zur Einführung in das Studium der deutschen Geschichte des Mittelalters und der Neuzeit

Herausgegeben von Professor Dr. Aloys Meister

I. Reihe:

Historische Hilfswissenschaften und Propädeutik.

Abteilung 1. ℳ 2.40. ℳ 3.—

*Lateinische Paläographie. Von Archivdirektor Prof. Dr. Berthold Bretholz.

Abteilung 2. ℳ 2.40. ℳ 3.—

*Urkundenlehre. I. u. II. Teil. Grundbegriffe, Königs- und Kaiserurkunden. Von Prof. Dr. Rud. Thommen. Papsturkunden. Von Prof. Dr. Ludw. Schmitz-Kallenberg.

Abteilung 2a. ca. ℳ 3.— ca. ℳ 3.60.

*†Urkundenlehre. III. Teil. Privaturkunden. Von Prof. Dr. Harold Steinacker.

Abteilung 3. ℳ 1.50. ℳ 2.10.

*Chronologie des deutschen Mittelalters und der Neuzeit. Von Archivdirektor Geh. Archivrat Dr. Hermann Grotefend.

Abteilung 4. ℳ 2.80. ℳ 3.40.

*Sphragistik. Von Archivdirektor Dr. Theodor Ilgen.

*Heraldik. Von Archivar a. D. Regierungsrat Dr. Erich Gritzner.

Numismatik. Von Geh. Reg.-Rat Prof. Dr. Ferdinand Friedensburg.

Abteilung 4a. ℳ 1.80. ℳ 2.40.

Genealogie. Von Otto Forst-Battaglia.

Abteilung 5. ℳ 1.40. ℳ 2.—

Quellen und Grundbegriffe der histor. Geographie Deutschlands und seiner Nachbarländer. Von Prof. Dr. Rudolf Kötzschke

Abteilung 6. ℳ 1.50. ℳ 2.10.

*Grundzüge der historischen Methode. Von Prof. Dr. Aloys Meister.

Geschichtsphilosophie. Von Privatdozent Dr. Otto Braun.

Abteilung 7. ℳ 3.— ℳ 3.60.

*†Historiographie und Quellen der deutschen Geschichte bis 1500. Von weil. Prof. Dr. Max Jansen, fortgeführt von Prof. Dr. Ludw Schmitz-Kallenberg.

Abteilung 8.

†Quellen und Historiographie der Neuzeit. Von Prof. Dr. Hermann Onncken.

II. Reihe:

Historische Sonderwissenschaften.

Abteilung 1. ℳ 2.80 ℳ 3.40.

Deutsche Wirtschaftsgeschichte bis zum 17. Jahrhundert. Von Professor Dr. Rudolf Kötzschke.

Abteilung 2. ca. ℳ 1.80. ca. ℳ 2.40.

*†Grundzüge der neueren Wirtschaftsgeschichte vom 17. Jahrhundert bis zur Gegenwart. Von Prof. Dr. Heinrich Sieveking.

Abteilung 3. ℳ 3.20. ℳ 3.80.

*Deutsche Verfassungsgeschichte von den Anfängen bis ins 15. Jahrhundert. Von Prof. Dr. Aloys Meister.

Abteilung 4.

†Deutsche Verfassungsgeschichte vom 15. Jahrhundert bis zur Gegenwart. Von Privatdozent Dr. Fritz Hartung.

Abteilung 5. ℳ 3.— ℳ 3.60.

Deutsche Rechtsgeschichte. Von Privatdozent Dr. Claudius Frh. v. Schwerin.

Abteilung 6. ℳ 5.— ℳ 5.60.

*Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im Mittelalter. Von Prof. Dr Albert Werminghoff.

Abteilung 7.

†Verfassungsgeschichte d. katholischen Kirche in d. Neuzeit. Von Prof. Dr. Jos. Freisen.

Abteilung 8. ℳ 1.20 ℳ 1.80.

*Geschichte der protestantischen Kirchenverfassung. Von Prof. Dr. Emil Sehling.

*2. Auflage. † In Vorbereitung. Die Preise der gebundenen Exemplare sind fett gedruckt.

Der „Grundriß" soll in gedrängter Zusammenfassung und knapper Darstellung Studierenden wie Lehrern zur Einführung, Wiederholung und Vertiefung des historischen Studiums dienen.

Der „Grundriß" soll den augenblicklichen Stand der Geschichtswissenschaft in den behandelten Einzeldisziplinen wiedergeben. Nicht Ergebnisse allein, auch neu aufgeworfene und zur Diskussion stehende Fragen werden erörtert.

Der „Grundriß" soll anspornen zur Mitarbeit, zum Vergleichen und Beobachten sowie zum Sammeln entlegener Merkmale und Zeugnisse. Durch reiche Literaturangaben, besonders in Kontroversfragen, wird der Leser in die Lage gesetzt, das Gebotene weiter zu verfolgen und die Begründung des ausgesprochenen Urteils zu prüfen.

Der „Grundriß" eignet sich auch vortrefflich als Nachschlagewerk. Als solches wird er weder in den Bibliotheken der höheren Schulen noch in denen der historischen Vereine fehlen dürfen.

Prospekt (mit Vorwort des Herausgebers, Resümees, Inhaltsverzeichnissen und Besprechungen) umsonst und postfrei vom Verlag.

VIGENER: QUELLEN ZU

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the library rules or by special arrangement with the Librarian in charge.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE

C28(251)100M

943.02 Q33
2

Quellen zur geschichte der mittelalterlichen geschichtsschreibung

JUL 14 Binders
Miss Johannes
Richard Lemay
JUL 7 - 1914
25 SEP 14

943.02
Q33
2

COLUMBIA UNIVERSITY
0025992988